E. LUBINI

IN Q. HORATII FLACCI
EPISTOLAM SATYRICAM
AD PISONES

DE ARTE POETICA

*PARAPHRASIS SCHO-
LIASTICA*

ROSTOCHII
Ex Typographiâ Chriſtophori Reuſneri,
ANNO
M. D. XCIX.

DN: HERMANNO STEDINGIO,

PATRITIO BREMENSI PRIMArio, juveni virtute, doctrinâ, moribus politissimo

Convictori meo suavissimo

EILHARDUS LUBINUS

S.

CUm hoc sesquianno, Hermanne suavissime, Horati, omnium Latinorum Græcorumq; Poëtarum elaboratissimi opera ad hanc usque Epistolam Satyricam de Arte Poëticâ inscriptam explicando perduxissem: reliquum fuit ut illam quoque eadem, quà reliqua hujus auctoris omnia, scholasticâ paraphrasi explicatam publici juris facerem, atque ita ultimam huic auctori manum imponerem. In quo dum occupor, deprehendo omnium pulcherrima pariter & difficilima sub finem mihi restare. Quamvis enim plurimi, ijq; doctissimi viri, & jam olim, & nostra ætate commentarios in hanc Satyram scripserint &

 edide-

ediderint: non nullos tamē locos Delio natatore, ut dici ſolet, indigos, & multis obſcuritatum Labyrinthis involutos, variè à varijs, quoſdam etjam, meo judicio, parum dextrè acceptos animadverto. Quos dum hâc meâ paraphraſi pari perſpicuitate, quâ hujus Poëtæ priora omnia, vel magis illuſtrare, vel rectiùs explicare adnitor: Plus ſtudij & laboris, atque illi, qui ante me manum huic Poemati admoliti ſunt, me impendiſſe, & plus etjam lucis dediſſe, verè magis, quàm ambitiosè vel audacter de me auſim adfirmare. Hunc igitur laborem ordine quidem poſtremum in hoc opere, ſed valore ac pondere primum, tibi, juvenum candidiſsime, nuncupare volui; ut politiorum litterarum fundamentis tam præclarè jactis ad ſacroſanctæ juriſprudentiæ adyta properanti qualecunque calcar adderem, hoſce virtutis & ſapientiæ magiſtros, qui pectus & linguam expoliunt, &, ut cum hoc noſtro loquar, ſapere & fari docent, cum ſacratiſsimis legum interpretibus ſingulari vitæ ſtudiorumque decoro atque ornamento conjungendi. Tu vale, & hæc tuo patrocinio tuere, & quod facis majorum tuorum, patris, atque patrui præclariſsimorum virorum eximio exemplo ad Virtutem Doctrinam & Prudentiam, horumq; omitem honorem feliciter viam graſſare; quod etjam per hunc eximium auctorem tibi in parte erit. Roſtochij. Anno 1599.

EILHARDI LUBINI.

IN Q. HORATI FLACCI Epistolam Satyricam

DE ARTE POETICA PARAPHRASIS SCHOLIASTICA.

De arte Poëticâ carptim & saltuatim quædam mihi præcepturo, & quàm parum dextro pede illam pleriq; aggrediantur ostensuro, primò omnium se illud mihi præceptum offert, de harmoniâ, & convenientiâ cujusq; Poëmatis, ut nimirum una sit operis conformitas, constans ex convenientibus, aptis, proprijs, & accommodatis partibus: cujus unum quoddam, & uniforme sit corpus, sui simile, simplex, sibi constans, non dispar, inæquale, & disconveniens. Non aliter atq; in picturâ omnes partes certâ quâdam cohærentiâ, proportione, Symmetriâ, & harmoniâ inter se cohærere, sibi invicem respondêre debent. Nam ut pictura, sic etjam Poësis erit: Magna quippe inter hæc convenientia, & similitudo. Si ergo vanus quispiam & ineptus pictor absurdum aliquod corpus ex diversi generis membris coagmentatum velit pingere, & humano formosæ mulieris capiti cervicem aliquam oblongam, crassam, & equinam adjungere, illi porro equinæ cervici varias diversarum avium plumas & colores jubæ loco penicillo inducere & adpingere, ita ut monstrum hoc constaret, ex diversorum animalium membris undique & variè collatis, collectis, & sine ullâ ratione conjunctis; & absurda hæc pictura supernè formosa sit mulier, in medio ex equinâ cervice, versicoloribus avium plumis, varijsq; animalium membris componatur, inferiore deniq; parte in atrum horribilem, & deformem piscem monstrosè desinat, & indecorè pariter, & turpiter finiatur: Agite vos amici, qui à pictore tali ad hoc tam absurdum monstrum, ad hanc tam monstrosam picturam spectatum admissi estis, ut nimirum hoc pictum monstrum contemplemini, contineatis ne risum?

poßitisne cachinnum cohibere ob absurditatem tam prodigiosi monstri? Credite *mihi pater & filij viri egregij* Pisones huic tabulæ *monstrosæ, huic picturæ adeò absurdæ, illud Poëma, illum* librum persimilem fore, *qui disparis formæ materias sine ratione conjungit, cujus initium accuratum, postea neglectum & impolitum sub finem in absurdum monstrum desinit, sine judicio omnia miscens & confundens, cujus finis initio non respondet, cujus formæ adeo informes sint, ut nihil sibi simile, nihil æquale sit, & cujus deniq; adeo* vanæ species, *adeo monstrosæ, & absurdæ imagines* fingentur, ut neque pes, neque caput, *nec finis, nec principium* uni formæ reddatur, *nullum membrum ad aliud symmetriâ & proportione referatur;* veluti ægrotorum insomnia *esse solent, ubi phantasia per morbum læsa & perturbata dissolutiùs vagatur, multaq; sibi fingit monstrosa & absurda. Sed nimirum objiciet mihi hic aliquis, quod par,* æqualis, *atq; eadem adeo* potestas quidlibet audendi, *quidlibet dicendi, fingendi, excogitandi & faciendi* Poëtis *cum* Pictoribus *communis* semper fuerit, *& horum adeò potestatem adeò latè sese extendere, ut nullis metis ac terminis inhiberi, & circumscribi poßit.* Scimus *profectò verum illud esse quod objicitur, inter picturam & Poësin magnam esse convenientiam, & utramq; quidlibet impune fingere & efformare posse,* & hanc veniam *quidlibet audendi & fingendi,* ut *ab alijs nobis indulgeri* petimus, ita *eandem* vicissim *alijs libenter* dabimus *& concedemus.* Sed *tamen hoc* non *ita concedimus,* ut *existimemus hanc veniam in licentiam esse permutandam, & in infinitum etjam ad absurda & monstrosa esse extendendam, & diversa, imò contraria sine ratione inter sese confundenda esse: ita ut* immitia *atrocia crudelia & horribilia, cum mitibus* placidis, *lenibus mansuetisq; conjungantur &* coëant; *Exempli gratiâ* ut serpentes *crudeles cum* avibus *mitibus, dracones horribiles cum columbis timidis,* agni *molles & imbecilles cum violentis & immanibus* tigribus non geminentur *aut componantur. Hæc enim sine ratione conjuncta ut picturam, sic & Poëma absurdum pariter & monstrosum reddunt. Huic primo præcepto vicinum aliud succedit, ut illa quæ ornatus causâ adhibentur ad propositum nihil pertinentia evitemus; ut sunt longæ digreßiones à proposito, & descriptiones rerum pulcherrimarum à themate alienæ, quæ addi atq; inseri solent, non aliter atq; cum vili cuidam vesti aut pallio* unus atque alter pannus, *aut cento* purpureus, qui latè splendeat, *suoq; splendore vestem commendet,* assuitur. *Quod quidem, non minus atq; prior*

illa pi-

illa pictura, esset ridiculum. Ab ineptis enim Poëtis in inceptis gravibus, in grandibus exordijs, sublimibus principijs, ut illi opinantur, & operibus, & magna & illustria de se professis, & pollicentibus plerunque in locos communes ad propositum non pertinentes fit digressio, ibiq; inseritur splendida orationis particula, sermonis flores, una atq; altera pulcræ rei descriptio ab incepto opere aliena, quæ Poëma concinnius reddat, & legentibus magis commendet. Vt verbi gratiâ, cum amænus ille lucus, & templum atq; ara Dianæ Tauricæ Aritiam transvectæ, cujus templum silva amænißima circundat magno verborum ambitu prolixè & operosè describitur, quod tamen à materiâ propositâ alienum sit; vel cum ambitus atq; circuitus aquæ, scaturiginis, fontis, aut fluminis amænißimi per amænos ægros delabentis, currentis & properantis, aut Rheni flumen nobilißimum, quod Belgas & Galliam à Germaniâ dividit, aut deniq; arcus ille Iridis innumeris coloribus pulcherrimus, pluviam prænuncians, & aliud pulcrum quidem, sed ad rhombum nihil faciens, verbosè depingitur, & delineatur. Et pulcra quidem hæc & non contemnenda, si suo loco & tempore producantur, & inserantur. Sed nunc hoc præsenti tempore, hoc præsenti tuo proposito hisce inserendis, & describendis locus & tempus non erat. Quippè hæc in tuo themate importuna, intempestiva, aliena, & Aprosdionysa erant. Quemadmodum enim si pictor sis, & alicujus naufragium in tabulâ debeas depingere, alia etjam potes artificiosè depingere, & cupressum, aliamve arborem, quæ discipulorum prima rudimenta esse solent, fortasse etjam potes simulare & delineare. Quid autem hoc sibi vult, & quorsum opus est, te cjam cupressum aliamvé arborem appingere, ut forte potes, si ille, qui pro ære vel precio dato in tabulâ à te depingitur, naufragus est, & fractis navibus, amißis opibus, exspes, metuq; mortis anxius, attonitus & exanimatus navis tabulâ arreptâ non sine extremo vitæ periculo ad littus enatat. Nempe naufragium debes depingere, cujus miserabili picturâ naufragus alios ad stipem sibi clargiendam invitare & commovere poßit. Huc profectò non pertinet cupressus, aut aliæ arbores, quæ in hortis voluptatis caußâ consitis jucundis, & amœnis depingi solent. Eodem prorsus modo in Poësi, si bellum aut memorabilis cujusdam rei eventus tibi versu aut carmine describi debeat; non rectè illi descriptioni aliena adjunges, quæ tu fortè describere posses, sed quæ ad propositum nihil pertinent. Vitium ergo in Poësi ultimum illud non est, cum à proposito longiùs in aliena, & impertinentia digreßio

 fit, &

sit, & potissimum cum in exordijs & principijs ornatus caussâ heterogenia præter rationem ambitiosè & adfectatè adduntur; ita ut finis illis principijs non respondeat, ultima primis non consentiant, & exordia sint tumida, inflata, adfectata, finis verò languidus, humilis, & remissus. *Nam si figulus aut tornio esses, ex te quærerem, cum* amphora, *vas grande, amplum & quadratum quadraginta octo capiens sextarios à te* cæpit institui, *tibiq́ initiò in principio institutum fuit efformare,* cur rotâ *tuâ figulari* currente *& propositum opus absolvente* urceus *longè minus vasculum* exit, *& prodit? Si autem Poëta es, te interrogo, cum Poema in principio grande amplum & sublime institueris, cur progrediente operis scriptione extrema deniq́ desinunt in humilia, abjecta, & minuta?* Denique *scriptum aut Poema,* quod *scribere* vis *& instituis absolvere, illud* sit duntaxat simplex, *unius formæ, & coloris,* atque *adeo* unum, *non constans grandi & fervido exordio, medio remißiore, minuto verò atq́ frigido exitu.* *Requiritur ergo potißimum, Piso præclare* pater, vosque *tanti patris egregij filij, tanto* patre digni juvenes, *ut scriptor sit accurati judicij, qui acri, & limatâ censurâ recta à pravis discernat, nec vitia pro virtutibus amplectatur. Nam judicij imbecillitas horum omnium vitiorum caussa est, adeoq́* maxima vatum pars, *nos Poetæ magna ex parte* specie *atq́ imagine* recti decipimur, *dum judicio destituti ad virtutem contendere volentes in vitium incidimus.* *Sic dum verbositatis vitium volo effugere, &* brevis *atq́ succinctus* esse *studeo atq́* laboro, *in vicinum vitium prolabor, &* fio obscurus. *Artificij ergo est, & accurati judicij ita scribere, ut sententiæ subjectæ orationis magnitudo æqualis sit.* *Contra si velim obscuritatis vitium evitare,* si velim lævia, *facilia, aperta, clara, manifesta, perspicua, dilucida in carmine meo* sectari, animosi, *valentes, & vividi vegetiq́* nervi *me* deficiunt, *quibus destitutus mollem, enervatam & elumbem compositionem efficio, inq́ vicinum humilitatis vitium incurro:* *Porro qui egregiè & magnificè in Poemate suo omnia vult exponere, qui* grandia professus *est, & humilitatis vitium vult declinare, ille plerunq́* turget; *dumq́ nimis elatus, turgidus, & inflatus modum excedit, in ampullosam quandam vanitatem & jactantiam se præcipitat.* *Contra qui nimium* tutus *& cautus est, sibiq́* nimium *cavet à grandiloquentiâ illâ vanâ, ille nimis humilis & remissus est, atq́ ob id reprehensionem non effugit.* *Nam quemadmodum nauta,* qui *nimium circumspectus & cautus, fluctuum tumultus* procellas *& tempestates in*

tes in medio mari timet, semper in portu aut littore cum navi suâ jacet sine ullâ gloriá, aut rerum suarum emolumento; sic qui nimium cavet turbulentas illas verborum ampullas, & difficultates quasi, & procellas grandiloquentiæ, ille humi quasi serpit, nimisq; humilis & abjectus est. Ita etjam qui unam rem, unum opus narrationibus, & fabulis supra hominum fidem mirabiliter monstrosè, & prodigiosè cupit variare, & describere; ille in re illâ variandâ varia etjam & diversa, imò contraria confundet, & velut rudis & vanus pictor delphinum qui in aquis degit, contra naturam monstrosè silvis, & contra aprum silvis gaudentem fluctibus & mari appinget, & malè inter se convenientia invicem componet atq; conjunget. Sic est, dum nos stulti unum vitium effugimus in contrarium incidimus. Nam culpæ fuga, vitijq; declinatio in aliam culpam, aliud vitium hominem inducit, si nimirum arte ingenio & prudentiâ careat, quâ quicunq; in rebus humanis destituitur, dum unum errorem vult evitare, in vicinum, sæpè etjam in graviorem ducitur. Porro magni est artificij eximium aliquod poema vel opus plenum totum & integrum omnibus suis numeris & partibus absolvere. Non enim sufficit quempiam unam aliquam operis partem perficere posse, qui totum & integrum à capite usq; ad calcem absolvere nequeat. Illud enim quivis etjam vilis scriptor potest. Hoc non-nisi excellens & perfectus Poeta. Nam quemadmodum vilissimus infimus atq; adeo imus faber circa Æmilium ludum gladiatorium, ubi fabri vicinas officinas habent, habitans, in statuâ quâpiam ex ære particulas viliores, leviores, & minus principales, ungues in digitis manuum ac pedum & molles capillos (qui in humano corpore partes sunt minus principales & viliores) leviores q; , facilè exprimet, imitabitur, & in ære efformabit, qui interea in summa operis, in toto atq; universo opere vel statuâ absolvendâ in capite, pectore, brachijs & pedibus artificiosâ symmetriâ & proportione conformandis parum felix sit, parum solers ac peritus. Quia nimirum totum & universum corpus, totam & universam statuam omnibus suis partibus perfectè absolutam componere, & constituere non sciet atq; ignorabit: ita etjam vilis de trivio Poeta leviorē quidē partem, sed eximij operis totum systema rectè pro cujusq; quod tractare incipit naturâ & qualitate expedire non poterit. Hunc profectò Poetam & talem scriptorem, qui minus principalem particulam tantum absolvere, totum autem non possit, ego Horatius si quid curem

 conscri-

conſcribere, non magis, velim eſſe, quàm *bellis* nigriſque oculis, *& pulcris nigrisq; capillis* ſpectari, & *interea* pravo *incurvo distorto & deformi* naſo vivere. *Profectò quemadmodum nolim, & non cupiam unâ atq; alterâ pulcrâ corporis parte commendari, quam aliud quoddam corporis membrum, aut etjam totum corpus suâ turpitudine planè deformaret; ita nolim etjam talis Poëta esse, qui particulam tantum, non autem totum poëma poßit absolvere. Interea non desunt qui dùm sese uni atq; alteri Poëmatis parti absolvendæ idoneos animadvertunt, continuò grandibus & sublimibus operibus manus admoliuntur, & nescio quid grande & magnificum scribere aggrediuntur, cui ingenij viribus pares non sunt, unde non rarò fieri consuevit, ut sæpe & dispositione, & facundiâ destituti in medio opere turpiter subsistant, aut nescio quod vanum elumbe & plebejum carmen absolvant. Quare vos* quicunq; ſcribitis, *sive Poetæ estis, sive oratores*, ſumite *aliquam* materiam veſtris *ingenij* viribus aptam *& accommodatam*, & diu *multumq;* verſate, *& librando quasi explorate*, quidnam *ingenij vestri humeri aut vires* perferre valeant; *quidnam eædem perferre non poßint* & recuſent, *ne quid supra ingenij vestri vires aggrediamini. Nimirum* cuicunq; *ita, quemadmodum dixi, potenter & efficaciter* res *quæpiam* dilecta erit, *quicunq; rem vel materiam quandam* pro *sui ingenij* potentiâ *quam ingenij vires, sustinere poßint, sibi tractandam elégit & præ manibus sumpsit*: hunc facundia *& elocutio* non deſerit, nec ordo lucidus, *& dispositio operis, universum opus perspicuum reddens & illustrans, non destituet. Quoniam autem de dispositione atq; methodo mentio incidit, quædam de illâ admonebo. Hujus autem, de quo dixi,* ordinis *aut dispositionis* hæc *perfectio* virtus *atq; præstantia,* hæc venuſtas *gratia & pulcritudo* erit: (aut ego *vehementer erro aut* fallor) *ut ex illis quæ primo loco dicenda sunt, quædam dicantur, quædam in alium commodiorem locum reserventur, nec uno in loco omnia dicantur,* ut, *inquam, quæ nunc dici debent* jam nunc dicat, & plæraque, quæ jam nunc dici debebant, differat *in futurum tempus*, & in præſens tempus omittat, *ut, inquam, ille qui optimi magni atq; egregij* carminis promiſsi auctor *est, quod sese scripturum pollicitus est & recepit*, hoc *præsenti tempore* amet *atq;* probet, hoc *autem præsenti tempore* ſpernat, *atq; in aliud tempus rejiciat, atq; accuratè videat, quæ quo loco conveniant, quæ non conveniant. Cæterum hoc* etjam *eximij Poetæ muneris esse videtur, verba & vocabula nova effingere, &*

Lati-

Latinam linguam locupletare. Quâ in re tamen cauto opus est, & circumspectè agendum, ne nimis multis novis & inauditis vocabulis Poëma nostrum obscurum adeò reddamus, ut à nemine intelligi poßit. Tum verò demum in verbis *& vocabulis novis* serendis *quasi in Poëmata tua, & seminandis* egregiè dixeris, *& elocutio tua egregia erit, si* tenuis & *parcus* cautus *& prudens eris, nec nimis multa nova vocabula immiscueris, aut* si verbum novum *immisceas, si tunc scita verborum compositio*, callida *verborum* junctura, verbum *quod* novum *& obscurum est*, notum reddiderit; *si, inquam, novum illud verbum ita cum alijs conjungas, ut ex antecedentibus & consequentibus, cum quibus compositum est, facilè intelligi poßit. Veluti ergo dixi cautè & parcè verbis novis utendum est. Quod* si fortè necesse est, recentibus *verbis, novis vocabulis, atq; rerum* indicijs res abditas *& occultas* demonstrare, & *nova vocabula* effingere, *quæ priscis illis Romanis Ennio, Catonibus*, Cethegis, *bellicosis & militari baltheo* cinctis, non audita *fuerunt (ut necesse interdum est res novas novis nominibus appellare) illa* licentia *atq; venia condendorum novorum vocabulorum unicuiq;* continget dabitur *atq; concedetur; illâ tamen conditione adhibitâ*, si *illa* licentia *parcè* pudenter *& moderatè* sumatur *& usurpetur*, & verba nova, nuperque ficta, *& ab auctoribus excogitata tum demum* fidem habebunt, *& auctoritatem obtinebunt*, si è Græco fonte *deriventur*, *&* cadant, *& ad exemplum Græcorum in Latino sermone innovata sint*, parcè detorta, *& moderatè inflexa, & inde deducta, ne nimis multa talia usurpentur.* Quod autem *Romani illâ licentiâ novorum vocabulorum confingendorum nostratibus Poëtis omnino volunt interdicere, quam priscis Poëtis tantâ cum indulgentiâ concesserunt, nimis iniquum mihi videtur.* Nam quid unquam Romanus *populus* Cæcilio, Plauto, *Afranio, Pacuvio, Livio, Ennio, Lucilio, reliquisq; Poëtis antiquis* dabit *atq; indulgebit*, quod Virgilio, Varro, *alijsq; nostræ ætatis clarißimis Poëtis jure* adimi *& denegari* posit. *Atq; ego Horatius adeò, quamvis cum nullo illorum comparandus*, si pauca *nova & apta Latina vocabula* possum acquirere, *& illis Latinum sermonem amplificare*, cur *ob id* invideor, *& quare illud ex multorum livore mihi non conceditur?* Cum *tamen prisci* Catonis & Ennij, *aliorumq; veterum Poëtarum* lingua sermonem patrium *& Latinum* ditaverit, *& locupletiorem reddiderit*, & nova rerum nomina *formaverit, & excogitaverit, inq; loquendi usum* protulerit.

lerit. *Adeoq; cur mihi non liceat, quod ante me alijs concessum fuit? Nimirum vocabula usu valent, sicut numi. Veluti ergo semper usitatum fuit & concessum numum aliquem notâ & figurâ tali, qui* præsenti *tempore usitata & trita sit, signare* procudere, *& communis juris facere: Sic etjam semper* licuit, & semper *etjam* licebit, *vocabulum, verbum, &* nomen *aliquod novum producere, quod præsenti usu, & communi loquendi consuetudine quasi* signatum *ab omnibus recipiatur, & usurpetur. Si enim neq; facta, neq; verba hominum sunt perpetua, requiritur ut alia pereant, alia nascantur, ut nova veteribus succedant. Atq; adeo* ut *nemora* aut silvæ in annos pronos, *celeriter labentes atq; fugaces* per *nova* folia, *& frondes quotannis* mutantur, *dum nimirum* prima *priora & vetera folia* cadunt, *& nova alia succedunt:* ita *etjam ætates hominum vocabulis immutantur, ita singulis ætatibus nova vocabula excogitantur, ita* vetus verborum ætas interit, & *vocabula nova*, modo nata *& excogitata* more juvenum, *instar novorum foliorum, ritu frondium modo natarum* florent, vigent, *& virent, suo etjam tempore alijs succedentibus peritura. Non enim vocabula & verba mortalium immortalia esse possunt, imò ne facta quidem, quantumvis admiranda & stupenda. Nimirum nos posidemus, nos usurpamus, nos gerimus peritura perituri:* Et nos *omnes morti debemur*, nostra *omnia* morti debentur, *facta & opera quantumvis maxima;* Sive *in salutem hominum admiranda opera exstruamus, ut Divus* Imperator *Augustus fecit, dum portum Lucrinum immensis sumtibus, & incredibili magnitudine exstruit, in quo* Neptunus *quodammodo*, & *mare, certè magna* maris pars in terram *& portum* recepta, *tutam navibus stationem exhibet, &* aquilones *impetuosos & turbulentos ventos à navium* classibus arcet *atq; prohibet, & per portum defendit: Quod profecto* opus regis *& summi alicujus orbis Monarchæ est, n n nisi immensis impensis perficiendum.* Vel *cum ipsi mari objectis aggeribus magna terræ portio eripitur, vel cum* Palus *Pontina, quæ* diu *aquis obruta &* sterilis *fuit*, & remis *atq; navigationi* apta *aquis per aggeres ab Augusto exclusis, inq; mare per meatus deductis, in agrum convertitur, & suis frugibus* vicinas urbes, *& opida* alit, *rusticoq; labore subigitur*, & grave aratrum sentit. Seu *deniq; cum* amnis *Tibris, qui cum antea per Velabrum flueret, jam ab Augusto Cæsare alio derivatus, per aliam viam ductus, &* melius iter edoctus *est*, cursum *suum vicinis* frugibus, *quas inundatione sæpe solebat obruere*, iniquum

hosti-

hostilem, & infestum mutavit. Hæc omnia mortalia facta, quantumvis admiranda, imò stupenda aliquando peribunt, & temporis longitudine occident, nedum vocabula hominibus excogitata semper subsistant, & tantum abest, ut sermonum honos perpetuus, pulchritudo verborum perennis, & vocabulorum deniq; venustas & gratia vivax stet, & semper nunquam interitura duret. Nimirum ut reliquæ res mortalium, ita etjam vocabula sunt in perpetuâ vicissitudine ortus & interitus, ex quibus multa, quæ jam cecidere & periérunt suo tempore renascentur, & postliminio quasi in vitam redibunt, inq; quotidiano sermone denuò usurpabuntur: Multa contra quæ jam in honore, & communi loquendi consuetudine sunt & versantur morientur, & cadent, si usus vocabulorum genitor & pater volet, penes quem unum & solum loquendi arbitrium vis, jus, norma, & regula semper fuit, est, & erit. Porro non satis est, materiam aliquam suis viribus parem eligere, eamq; rectè disponere, & convenienti sermone exprimere; sed imprimis videndum est, ut versus convenientes convenienti etjam materiæ applicentur, & unicuiq; subjecto conveniens etjam carminum genus adjungatur. Quæ tota res ex vetustissimis Poëtis Græcis, & Latinis peti potest. Nam fortia heroum facta, & res regum ducũq; præclarè gestæ, & bella tristia & calamitosa, & alia grandia & sublimia in rebus mortalium quo numero aut versus genere describi posꝭint, & etjam debeant, illud Homerus in Iliade sua demonstravit, nimirum carmine Heroico, & Epico, arduæ materiæ exprimendæ apto & convenienti. Post hoc proximum est carmen Elegiacum. Cujus versibus impariter junctis ex hexametris & pentametris primùm quidem querimonia & materia lugubris & flebilis descripta est. Postea tamen etjam illi inclusa est res læta, jucunda, ex optata, & sententia voti compos, & ex animi sententia succedens. De primo tamen inventore carminis Elegiaci non satis constat. Nam quis ille auctor sit, qui omnium primus Elegos versus exiguos, & humili materiæ aptos emiserit, & invenerit, illâ de re Grammatici certant inter se, & contendunt, & illa Grammaticorum lis & contentio adhuc est sub iudice, adhuc dijudicanda, nec dum ad finem perducta. Porro Archilochum nobilem illum Poëtam Græcum ira, indignatio, & rabies, quam ex repulsâ conceperat, (dum Neobules nuptias sperat, & ab ejus patre Lycumbe repudiatur) Iambo pede, & Iambico carmine proprio quasi, & à se primùm invento armavit, & maledicentiâ, &

probris tanquam armis atq; telis probè contra hostes inimicos suos instruxit; quo etjam pede & carmine socerum suum cum sponsâ ad suspendium adegit. Hunc *Iambum* pedem, *quem dixi, Comici, in Comædijs suis, quorum* socci *sunt,* & grandes *illi, & verborum rerumq; magnitudine illustres* Tragici *in* Tragædijs *suis, quorum calcei* cothurni *sunt, uti cæperunt, & Poëmatibus sub inseruerunt; utpote cumprimis* aptum & *accommodatū* alternis sermonibus, *Dialogis mutuis, interrogationibus & responsionibus, quales in Comædijs & Tragædijs sunt usitatißimæ, tum etjam in scenis clariùs resonantem,* & *brevi atq; longâ syllabâ spectatorum* populares strepitus, *clamores, tumultusq; in fabulis excitari solitos* vincentem: *Et deniq; scribendis Comædijs & Tragædijs,* & rebus *fabulisq;* agendis natū *quasi & inventum. Sequitur deniq;* Carmen *Lyricum: Quo nimirum ipsa* Musa *cum lyra &* fidibus Deos *immortales,* & Deorum pueros *semideos, & heroas,* & *in Olympicis certaminibus* pugilem victorem *& luctatores atq; palæstritas nobiles,* & equum *velocißimum in* certamine primum, & invenum curas, *joca, convivia, commißationes, amores,* & vina *poculaq;* libera, *& jocosa, decantare, laudare, atq;* referre dedit *& docuit, ut apud Pindarum videre est. Atq; hæc quidem talia sunt, quæ, quicunq; vates atq; Poëta audire, cupit non scire solum, verum etjam accuratè observare debet.* Hasce enim à me descriptas vices, *hosce* operum colores *& varietates, hoc deniq; præscriptum munus & officium in unaquaq; materiâ observandum* si observare, *inq; meo carmine exprimere* non possum & ignoro, *age* cur Poëta *vocor* & salutor? *Et si hæc ignoro,* cur mâlo *hæc* nescire, quam discere, *idq; profecto, ut jam pleriq; faciunt,* pravè pudens, *malè atq; vitiosè erubescens, & præposterè verecundus, cum pudori esse nulli debeat aliquid ignorare, sed vitioso atq; malo pudore impediri, quo minus ignorata addiscantur. Imprimis igitur videndum est, ut pro materiæ qualitate conveniens etjam dicendi genus accedat. Quâ in re non nullos videmus labi & impingere.* Res *autem vel materia* Comica non vult tragicis versibus, *& sublimi dicendi genere* exponi *& tractari: Sic* item *res & materia* Tragica, *ut est* cæna Thyeitæ, *cui proprius filius Plysthenes à fratre Atreo occisus & coctus apponebatur,* carminibus *vulgaribus & privatis vilibus hominibus accommodatis,* & propè socco *& stylo Comico, non autem cothurno aut grandiloquentiâ tragicâ* dignis narrari *in Tragædiâ non vult, & cumprimis* indignatur. *Ob id* singula quæ-

que, &

que, *& omnes materiæ sive Tragicæ, sive Comicæ sint, suum proprium* locum sortiantur, & decenter teneant; *nec quæ Comica sunt verba alieno loco in Tragœdiâ, nec quæ Tragica alieno loco in Comœdiâ tractentur, & materiæ ex decoro cujusq; rei suum convenientem stylum consequantur.* Hoc tamen, *quod dico, non ita rigidè intelligi velim, tanquam in Tragœdiâ, ubiq; grandia & sublimia, in Comœdiâ omnibus in locis vulgaria & humilia verba usurpari debeant; Sed cujusq; loci personæ, & circumstantiæ decorum observari debet.* *Nam* interdum *ipsa etjam* Comœdia vocem *Tragico stylo elevat &* attollit, *inq; Tragicas exclamationes prorumpit*: *O cœlum, ô terra, ô maria Neptunia, ô Summe Juppiter: Item vehementes adfectus iræ & indignationis; ut ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & prosternerem. Et alibi, ubi pater irâ & indignatione ardens sævit, quod filius nepos, & prodigus meretrice amicâ insanit, & alio in loco ubi* Chremes *senex* iratus ore tumido, *& inflato, & stylo Tragico acriter sævit, & vehementer* delitigat. Et *contra* Tragicus plerunque *in fabulâ cum* dolet, *& tristitiæ adfectum exprimit, facit illud* sermone *humili &* pedestri, *& stilo Comico vulgari, & communi.* *Exempli gratiâ* Telephus *Herculis filius*, & Peleus *Achillis pater & Æaci filius duo reges* (*qui ad tantam inopiam pervenerunt, ut mendicando undecunq; victum sibi cogerentur conquirere*) Vterque *igitur* quando *in tragœdijs introducitur in extremâ calamitate constitutus* pauper, exul *& inops*, verba *tumida longa &* sesquipedalia, & *verborum adeo* ampullas *& tumores, qui non nisi fortunatis & potentibus conveniunt, longè à se* projicit *& amittit; &, quamvis in Comœdiâ, humillimo dicendi genere utitur*, si *modo* cor *atq; animos* spectatorum *miserabili* querelâ *de tot suis calamitatibus* tetigisse *cupit, & ad sui misericordiam inflectere* curat *& desiderat.* *Nam illud* non satis est poëmata pulcra, *modulata, & numerosa* esse, *convenientem œconomiam, diserta & venusta verba habere, sed præterea etjam requiritur ut* sint dulcia, *singularem habeant gratiam in permovendis animis auditorum*, & ut quocunque *tandem* volent animum auditoris agere posśint *& impellere: quod tum demum fiet, si suâ dulcedine grata & accommodata erunt ad affectus permovendos, quod quanti sit artificij, quanti laboris & ingenij non credibile est, adeo ut inter homines peculiare quippiam sit & pæne divinum. Potiśimum ergo requiritur ut si in animis spectatorum adfectus excitare cupias, eo potiśimum carmina tua dirigantur. Nam hu-*

manus animus, *&* vultus hominum *pro objectis variè dolore & gaudio afficitur*, *& humani vultus*, quemadmodum ridentibus arrident *etjam ridendi caussâ ignoratâ*, ita *etjam* flentibus *& dolentibus commiseratione & lacrymis præsto* adsunt. *Quamobrem* si *tu* me flere vis, *& ad misericordiam commoveri & impelli*, primùm ipsi tibi *flendum &* dolendum est. Tunc *enim* tua infortunia me lædent, *neq; ad commiserationem flectent & impellent*, *si tu miserabili voce pariter & gestu calamitates tuas prius mihi exposueris*. *Quocirca*, *tu ô* Telephe vel Peleu, *vel quicunq; alius calamitosus inComœdiâ introduceris*, si *illa quæ tibi* demandata *sunt in* Tragœdiâ malè loquêris, *si munus & partes in Comœdiâ tibi datas indecenter & ineptè geres*, *si verbis utéris à personâ tuâ & fortunâ, quam sustines, alienis, si neq; verba, neq; gestus illi personæ, quam repræsentare jussus es, respondebunt, & si fortè in scenam prodeas magnificis verbis, & vultu hilari cum miser & calamitosus sis: ego profectò spectator vel auditor parum tibi attendam, sed* aut dormitabo, aut ridebo *vanitatem tuam*. *Nam* mœstum, *& in rugas contractum* vultum, *non* verba *læta & magnifica, sed* tristia decent, *vultum* iratum *decent verba* minarum *furoris & iracundiæ* plena; *vultum* ludentem, *jocosum, & exporrectum decent verba* lasciva, *mollia, dilicata & amatoria; Deniq;* severum *& tetricum vultum decent verba* dictu seria, *gravia & omni levitate carentia*. *Ipsa* enim natura priusquam *aliquam rem verbis exprimamus, prius* ad omnem fortunarum habitum nos *fingit &* efformat, *ut illum verbis ipsi fortunæ convenientibus possimus exprimere*. *Ad omnem fortunæ enim varietatem fronte & animo, verbis & gestibus declarandam apti sumus & accommodati, ut si fortuna secunda sit læti atq; hilares simus, prius animo, deinde etjam vultu verbis & gestibus: sin autem adversa, fracti, humiles, & demissi sumus*. *Sequitur deinde oratio, quæ tales animorum motus convenientibus verbis exprimat*. *Atq; ita ipsa natura nos aut* ad iram juvat aut impellit, *aut ad lætitiam nos commovet*, aut gravi mœrore *& tristitiâ* ad humum *nos* deducit, *& humiliat* & *miserè* angit *& affligit*; Postea *demum* linguâ interprete, *& verbis rerum in animo conceptarum signis* animi motus *& perturbationes* effert *& eloquitur*. *Ob id* si dicta dicentis à fortuna dicentis absona *& aliena erunt, ut si fortuna adversa sit, verba autem sint læta & magnifica, & contra: atq; ita verba & dicta, quæ signa atq; indicia animi esse debent, ipsi fortunæ non respondeant, tunc* Romani equites

& pe-

& pedites, *atq; adeo omnes spectatores risum & cachinnum* attollent, *& vanitatem Poetæ & actoris sublato risu explodent. Nimirum id quod toties superius admonui repeto, decorum ubiq; observandum est, quod cujusq; scriptionis & Poematis medulla est, & anima. Quocirca proprietas & discretio cujusq; personæ senis juvenis divitis & pauperis accuratè observanda est.* Multùm *igitur* intererit, an *DEVS aliquis aut* Divos loquatur, *& in tragœdiâ loqui introducatur,* an *verò* heros *aliquis, qui* DEO *potentiâ & majestate longè minor est; producatur aliquis dives, cujus sermo tumidus & elatus, an verò Irus aliquis & pauper, qui utitur sermone humili & remisso.* Numne *loqui introducatur* senex *aliquis* maturus *& provectioris ætatis:* an *vero juvenis* florente *& vernante* adhuc ætate fervidus, *calidus, vegetus & excitatus. Deniq;* an potens *quædam* matrona, *quæ superba, & ambitiosa,* an *verò* nutrix *quædam* sedula *officiosa, diligens, & industria in nutricandis infantibus: Anne avarus quidam & impiger* mercator *passim errans, &* vagus: *anne verò rusticus aliquis* virentis agelli cultor, *ruri suo semper adfixus; an crudelis aliquis & inhospitalis* Colchus, an Assyrius *astutus, callidus & divitijs affluens, &* Thebis *deniq;* nutritus *sit,* an *verò* Argis. *Vnicuiq; enim suum decorum, & conveniens proprietas pro ætatis, sexus, patriæ, loci, morum, aliarumq; circumstantiarum ratione assignanda est. Quicunq; igitur* scriptor *aut Poeta es, cum aliquid scribis,* aut *veras res gestas, & historiam scribe, & in enarrandâ historiâ communem historicorum* famam sequere *& imitare,* aut *si vis aliquid effingere, & Poëtarum more fabulosè excogitare,* finge *non absurda, monstrosa, & incredibilia, sed probabilia, verisimilia, &* sibi convenientia. *Exempli gratiâ* si fortè Achillem *illum Homericum illustrem, nobilem, & ab ipso Jove* honoratum *in carmine tuo* reponis, *ille juxta famam vel historiã in Iliade, & alijs Poematibus descriptã introducatur* impiger acer *& vegetus, deinde etiã* iracundus *& durus, & pariter* inexorabilis *& implacabilis, ut qui nullis muneribus quantũvis amplissimis ab Agamẽnone sibi missis placari potuit; qui exlex esse velit, nec sibi aliquid præcipi, nulli obtemperare, adeoq; qui omnia* jura *õnes leges,* sibi natas *esse* neget. *Deniq;* nihil *sit, quod ipse* armis *sibi* nõ arroget, *nihil corporis robore atq; vi sese superare posse non confidat. Porro* Medea *illa Aeetæ Colchorũ regis filia juxta historicorũ & Poetarũ monumẽta in Poemate introducatur inhumana, crudelis,* ferox, *& immanis, dũ proprios liberos in conspectu patris Jasonis interimit,*

sit etjam, utpote arte magicâ confisa, invicta & indomita. Ino *illa Cadmi & Harmoniæ filia, uxor Athamantis Aeoli filij, quæ maritum furiosum, & Learchum filium trucidantem fugiens, cum Melicertâ reliquo filio sese in mare præcipitavit, propter tantas calamitates* flebilis *& miserabilis repræsentetur.* Ixion *verò sceleratus &* perfidus *in Poemate exhibeatur, ut qui uxoris suæ Diæ patrem Dejonea pro dotis compensatione fraudulenter interemit: à quo scelere à Jove misericordiâ commoto expiatus, inq́ cælum assumtus, Junonem Jovis conjugē de stupro interpellavit, & unum scelus alio cumulavit. Sic etjam* Io *Inachi Primi Argivorum regis filia, quam Jupiter amatam ne à Iunone cognosceretur in vaccam mutavit, quæ ipsam Argo Centoculo custodiendam dedit, à quo cum per Mercurium liberata esset, Oestro per Junonem immisso agitata, multasq́ regiones pervagata in Ægyptum venit, ibiq́ Isis DEA post mortem habita fuit. Talis igitur, qualem ipsam historici & Poëtæ descripsérunt, in carmine perhibeatur. Postremò* Orestes *Agamemnonis & Clytemnnæstræ filius in carmine producatur* tristis, *anxius, & pavidus propter furias à matre interfectâ sibi immissas, ut qui patris sui Agamemnonis necem, matrem Clytemnæstram & adulterum Ægisthum interimens, ultus est, & ob parricidium furijs miserè agitatus fuit. Quando igitur hi, quos dixi, tales à veteribus Poëtis & historicis describuntur, tu quoq́ in carmine tuo illos aliter describere non debes.* Porro si *aliquid* inexpertum *novum & nondum ab alio tentatum* scenæ committis, *& comœdiam in scenam vis producere, in quâ sint personæ novæ,* atque *ita* novam *aliquam* personam *à nullo Poeta tractatam* audes formare; *vide ut perpetua sit harmonia & convenientia, nimirum ut talis usq́* ad *extremum atq́* imum *finem perpetuo* servetur, *taliq́ formâ semper perscribatur,* qualis *in initio à te cœpta est, & qualis à primo* incepto *& initio carminis* processerit, *& formari cæperit,* & *nimirum undiq́* sibi constet *& consonet, eandem ubiq́ rationēm servet, sit sine ullâ inæquitate, nec aliter priori, aliter posteriori loco describatur, atq́ ita mutetur. Atq́ hæc observanda sunt in illo Poemate, in quo nova, & à nullo unquam antea usurpata tractantur. Porro si materiam ab alio antea tractatam aggredi cupias, cum primis tibi videndum est, ut illam ita tractes, tanquam tua propria sit, & à te omnium primò usurpata. Hoc autem summi est tum laboris, tum artificij.* Difficile *enim* est *illa quæ jam à multis sunt usurpata, quæ omnibus sunt exposita, & jam* communia, propriè dicerę, *hoc est, ut nova & tua propria, & à te primo*

excogi-

excogitata videantur; tuque *longè faciliùs*, *longè meliùs atq; rectiùs* Iliacum carmen *vel, orationem ex Homeri carmine desumptam,* in actus produces, *ut inde fabulam*, *aut* Tragædiam *aliquam componas,* quàm si *tu omnium* primus *alijs* ignota, indicta, *& nunquam tractata* proferres, *ob id operam dabis, ut illam materiam ante ab Homero tractatam, jamq; publicam, ita tractes, ut tua esse videatur. Quod fiet si filum ab alijs, qui ante illam materiam tractarunt, ductum non nimis diligenter sequaris, illorum vestigijs omnino insistere videaris, sed aliquid ex tuo ingenio & industria addere studeas. Nam* materia *jam ab alijs tractata &* publica, privati juris erit, *& tua propria habebitur,* si *in inventione & dispositione illorum, qui ante te illam materiam usurparunt, perpetuò* non *inhærebis, & quasi* circa orbem *jam* vilem, *tritum, à vulgo cognitum,* & *omnibus* patentem *semper non* moraberis *& oberrabis,* nec verbum verbo reddere curabis, *perinde ac* si fidi *alicujus* interpretis munere *velles perfungi.* Nec *deniq; verba & materiam, dispositionem & inventionem carminis Græci aut Latini ab alijs expositi ita retineas, ut nihil de tuo addas. Hoc enim quivis etjam facile præstare poßit.* Nec imitator *cum sis* in arctum desilies, *nec cum alium imitari vis, nimis longè ab illo, quem tibi imitandum proponis discedendo, in angustias te conjicies,* unde *rursus egredi, aut* pedem proferre pudor *te* voler, *& operis natura atq; ratio non ferat. Pudor enim prohibet nos inchoata deserere,* atque *ipsa* operis lex *jubet, aut penitus non incipere, aut incepta perficere. Cum ergo quempiam imitaris, ne nimis religiosus sis, ita ut ab ejus vestigijs & verbis quem imitaris, nunquam discedas, neq; etjam nimis longè ab illo quem imitaris recedas. Deinde exordia non sint nimis turgida & inflata,* nec *Poema tuum* sic incipies, ut *Poëta ille circumforaneus, &* scriptor *circulator,* cyclicus, *orbicus, trivialis & plebejus (qui in conventiculis vilißimorum hominum in orbem coactis in foro atq; plateis solebat recitare) Poema suum* olim *inchoabat:*

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Ita enim exorditur Poema suum putidißimum de decennali Trojeno bello, & interitu Priami. Nam promissor hic, *qui tantum bellum tam ambitioso & turgido exordio sese cantaturum & scripturum pollicetur:* Quidnam *in toto suo Poemate* tanto hiatu, *tam vasto proœmio, & tam amplis pollicitationibus* dignum *unquam proferet? nimirum,*

ut est

ut est apud Æsopum in Apologo montes parturient, unde ridiculus mus nascetur. *Nam quemadmodum Æsopus, fabulatur* mons *horrificos sonitus & rugitus quasi tonitrua emisit; adeò ut homines & animalia illum fugerent, nescio quem inmensum & horribilem* partum editurum timentia. *Postmodum* mus *è radice montis prodiens omnem* metum in risum solvit: *ita hic etjam Epicus, si Dijs placet, grandia, imò immensa in exordio de se pollicetur, grandemq́ sui carminis expectationem concitat, & auditores suos vanâ expectatione frustra lactat, dum pollicitationibus suis nullâ in parte operis satis facit.* Quanto *autem* rectiùs *& prudentius* hic *incipit,* qui nihil ineptè molitur, *nihil temerè scribere aggreditur, principem illum & parentem Poëtarum Homerum dico; nimirum qui placido exordio Odysseam suam, de laboribus & erroribus Vlyssis sic exorditur:*

> Dic mihi Musa virum, captæ post tempora Trojæ
> Qui mores hominum multorum vidit, & urbeis.

Nimirum dum Odysseam scribere in animo habet, non cogitat ex fulgore fumum, sed *contra* ex fumo *fulgorem, flammam, &* lucem dare: *noluit exempto Cyclici Poëtæ ex elato & ambitioso exordio turpiter delabi in res humiles, & viles; sed potius post humile & modestum principium (in quo se de Vlysse loqui velle indicat, qui cum prudentiâ pariter & fortitudine suâ urbem Trojam decem annorum spacio delevisset, dum patriam Ithacam vult repetere ventorum injuriâ variè agitatus, & decem annos errans multorum hominum urbes aspexerit, & mores cognôrit) eximias speciosas, & illustres narrationes subtexere:* Vt *nimirum* dehinc *in operis processu* miracula speciosa *& auditu delectabilia depromat, & poemati suo inserat, nempe* Antiphaten *illum* Lami *filium immanem Læstrigonum regem, à quo una cum omnibus socijs suis Vlysses discerptus fuisset, nisi præcisis anchorarum funibus properè in altum se recepisset:* & Scyllam *Phorcynos & Hecatæ filiam in marinum monstrum conversam, cujus latus catulis latrantibus undiq́ succinctum describit,* & Charybdin *monstrum illud in mari Siculo navigantibus formidabile, quæ Vlysses non sine vitæ periculo accessit, una* cum *Polyphemo illo* Cyclope, *qui Vlyssis tres socios devoravit, & quem Vlysses inebriatum occæcavit. Hæc Homerus pulcherrimâ inventione pariter & dispositione pulcherrimè descripsit, nec exordia Poematis sui nimis longè petit,* nec, *quemadmodum ineptus quidam*

Poeta,

Poëta, dum reditum Diomedis *Tydei filij Græcorum post Achillem fortißimi à deletâ urbe Trojâ in patriam vult describere* ab interitu Meleagri *patrui sui incipit. Nimirum quod Tideus & Meleager fratres fuerint, ex quibus Meleager à matre Altheâ stipite in ignem co..jecto, cui Parcæ æqualem vitam cum Meleagro constituerant, interemptus sit, eo quod Meleager occisi apri caput Atalantæ dedisset, & utrumq; avunculum Jphiclum & Toxea, qui ipsi illud volebant eripere, interemisset :* nec *dum* bellum Trojanum orditur, à gemino ovo *incipit, quomodo nimirum Jupiter Ledæ Tyndari conjugis amore captus in cygni formâ ipsam compresserit, ex quo concubitu duo ova nata sint, ex quorum uno Castor & Pollux, ex altero Clytemnestra & Helena exclusa sit; quæ Helena Menelai regis Spartanorum conjux à Paride rapta, & adulterio polluta Trojani belli causam præbuerit. Hoc enim exordium nimis longè desumptum esset. Contra Homerus longa proœmia odio habens, ad propositum scopum semper contendit,* semper ad eventum, *ad finem & exitum rei unde exordiendum est* festinat, *&* auditorem *vel lectorem suum* in medias res, *quæ narrandæ sunt* non secus ac notas, *cognitas & apertas* rapit, *ut earum principia non desideret, & accuratum materiæ delectum habet*, & quæ non sperat nitescere posse, *& nitorem atq; ornatum orationis capere, ut vel maximè* tractata *sint*, illa *deserit, præterit &* relinquit, atque ita *in toto suo Poëmate sic* mentitur, *adeo artificiosè fingit & fabulas inserit, &* ita falsa cum veris, *vera cum falsis* miscet *atq; temperat*, ne medium *à* primo, nec imum *à* medio *discrepet, sed ut una & perpetua sit concordantia & harmonia, & principium medium & finis optimè inter sese consonent & concordent. Vt autem hoc fiat, quod jam toties antea admonui repeto, unicuiq; suum decorum aßignandum esse. Age enim* tu *Poeta, quicunq; carmen scribis accuratè* audi *& animo mecum perpende,* quidnam ego, *qui hoc meo scripto Poetam informo, à te fieri cupiam,* & *quid* populus *auditor vel spectator à te fieri* desideret. Si cupis tale Poema, *talem fabulam describere, quam spectator vel auditor cum maximâ voluptate audiat, neq; prius discedat, quam finita sit, & si tibi contingere cupis,* talem spectatorem, qui *postea* etjam plausor sit, *& in fine plausu ac acclamatione lætus tibi gratuletur*, atque *adeo qui tam diu* maneat *& exspectet te, donec* aulæa *vel tapetia, quibus scena vel theatrum obtenditur & exornatur, removeantur,* & usque sedeat *& semper usq; ad finem maneat,* donec *omnia finita sint; &* cantor, *mi-*

mus vel actor fabulæ dicat: vos *ô spectatores* plaudite; *& si deniq; egregium Poema vis scribere, quod magna cum voluptate à spectatore audiatur, qui vani Poematis tædio affectus non surgat aut abeat: Decorum ubiq; tibi observandum est, & unius* cujusque ætatis mores tibi sunt notandi, *pueri, adolescentis, juvenis: viri, senis*, & *suus* decor, *suus mos, suum conveniens munus & officium* naturis & annis *hominum* mobilibus, *& continuò variantibus, (dum in humana vita ætas hominum crescens & decrescens, aliam vitam alios mores postulat)* dandum *& assignandum est. Et ita initio facto à pueris ad senes, per omnes vitæ humanæ ætates transeundum est. Sic* puer, qui *infans amplius non est, sed* jam voces novit reddere, *& ad interrogata respondere*, & *jam* certo *& firmo* pede humum signat, *jam rectè incedit, ambulando gressum firmat, nec amplius titubat, ille cum* paribus *& æqualibus pueris* colludere gestit *& desiderat, & siue causa irascitur, sine causa etjam placatur*, & iram temerè colligit, *temere* etjam *iram* deponit, *& placatur*, & *ob inconstantiam animi puerilis* in *singulas* horas mutatur. *Hoc enim puerorum proprium est, & hoc decorum describendis pueris est observandum. Animum enim infirmum gerunt, qui adfectus illos gubernat. Post hunc succedit, adolescens, aut saltem* imberbis juvenis, *qui cum jam* tandem remoto *pædagogo &* custode, *cum ex ephebis excessit, & suo jam arbitratu quodammodo vivit, animum applicat vel ad Philosophiam, vel ad equos alendos, vel ad venationes*, gaudet equis & canibus, *delectatur* gramine aprici campi Martij, *& juvenum ludis & exercitijs in illo campo aprico & ventis exposito: porrò in illo* ut in vitiū flectatur, *planè mollis, facilis & quasi* cereus est, *& veluti cera informis in omnes formas efformari potest, sic ille in quævis vitia. Senioribus &* monitoribus asper *durus & morosus est, & plerumq; neq; ipse sapit nec meliora monenti obtemperat, rerum* utilium *& honestarum nimis* tardus provisor *est, & ob judicij imbecillitatem tardè admodum illa providet & prospicit, quæ sibi prodesse poterant, est profusus, sumptuosus, &* æris prodigus, *elatus*, sublimis, *ferox, & superbus*, cupidus *ita ut voluptate tanquam flagello ad cibum, potum, & venerem impellatur.* Et *deniq; ad illa* relinquenda, quæ *paulo ante* amaverat, *est levis, inconstans*, pernix *& velox; cum enim vehementer concupiscit, celeriter concupiscere desinit. Porro*, cum jam cum ætate *maturiore* studia *moresq;* conversi sunt, *grandior* ætas, & virilis animus, quærit

opes,

opes, *qui junior æris erat prodigus,* & *studet* amicitias *cum magnis viris contrahere, ad magistratum aspirat*, honori inservit, *ejusq; studio ambitiosè occupatur ; Et cum viro gravi & seniore indigna sit levitas, imprudentia, & temeraritas,* cavet *illa in se* admittere, quæ mox po*stea pœnitentiâ ductus* mutare *studeat &* laboret. *Deniq; succedit ultima vitæ humanæ ætas senectus ; in quam quasi omnium malorum lerna confluit. Multæ enim molestiæ,* multa incommoda senem circumveniunt, *decipiunt, gravant, & opprimunt : Imprimis senibus peculiaris avaritia ;* quòd miser *& calamitosus senex multas opes & divitias ærumnosè* quærit, & *ab opibus conquisitis, accumulatis, &* inventis abstinet, *& inter opes inops vivit,* & *partis opibus,* uti *quidem cupit , sed* timet *ne paupertate fortè opprimatur , atq; ita quo minus viæ sibi peragrandum restat, hoc plus viatici quærit ;* vel quod res òmnes timidè, gelidè, *segniter, & ignavè* administrat ; *est tardus,* dilator, *& procrastinator. Cumq; proximus morti sit,* spe *tamen* longus *est, & illa sperat, quæ vivendo non attinget ; quod fit ob defectum sanguinis & frigiditatem,*iners,*& somnolentus,*rei futuræ avidus *est & cupidus. Interea in conversationibus ineptus est, utpote* difficilis, *morosus ,* querulus, *sibi ipsi displicens & aliis, res præteritas narrare nunquam intermittit, illarumq; recordatione lætatur,* laudans *& prædicans illud* tempus quod se puero *adhuc existente* actum *est ; contra præsentia omnia culpat & vituperat, juniorum &* minorum *rigidus* censor, castigator *& objurgator. Nimirum juvenilis ætas accedens , &* anni *quasi* venientes, *ab incunabulis ad perfectam virilem ætatem extensi* multa *gaudia, voluptates , &* commoda secum *adferunt : Contra senilis ætas accedens, & anni juveniles quasi & viriles ad senium* recedentes , *& declinantes* multa *commoda rursus* adimùnt, *& secum auferunt, ut voluptates, vigorem ingeni, memoriam, prudentiam, robur corporis, & alia innumera. Idq; accuratè notandum est,* ne forte *illa quæ senibus debentur attribuantur juveni,& contra,vel ne* seniles partes,*vel decorum atq; officium seni debita* juveni mandentur, & puero *alicui adsignentur partes* viriles, *& officia viris propria. Quod maximum esset vitium, & illud ut effugiamus,* semper in illis *versabimur atq;* immorabimur, quæ ævo *vel ætati cuiq;* adjuncta, apta, *convenientia , & accommodata* sunt. *Et de his quidem hactenus. Porro* in scenis, *& fabulis Tragœdiis & Comœdiis* aut res agitur *coram, repræsentatur , & conspe-*

 ctui bo-

Ëxi hominum quasi externis actionibus & gestibus exponitur, & exhibetur, aut *res ab alijs* acta *tantum nudo sermone* refertur, & *narratur.* Ex *hisce visa res magis afficit & percellit animos hominum, quàm quæ tantum auditur. Nam illa quæ fando tantum audimus, & quæ* per aures *quasi in animum tantum* demissa *sunt, illa* animos *spectatorum longè* segniùs & *languidius* irritant, *longè tardiùs difficiliúsq́, excitant, commovent & adficiunt,* quàm quæ oculis fidelibus, & *quasi conspectui hominum* coram subjecta sunt, & *quæ præsentes quasi intuemur,* & quæ ipse spectator *ipse videt,* & sibi *ipse* tradit, *non quæ audit,* & *ab alio accipit. Quod quamvis ita sese habeat, & magis spectatores visis moveantur, quàm auditis, Interea* tamen *omnia oculis spectatorum in scenâ subjici non debent. Hoc enim ut sæpè esset indecorum, ita etjam spectatoribus ingratū. Ob id quæ sunt horribilia atrocia, & obscœna,* & digna quæ intʼ gerantur, *remota ab externo conspectu hominum, illa* in scenam non depromes, & *ante oculos spectatorum coram spectanda non produces,* & multa *turpia & truculenta* ex *spectatorum* oculis tolles, quæ mox facundia præsens, & *sermo palam prolatus* narret, *non autem gestus & actio præsens demonstret.* Neque *enim* Medea *Aeætæ Colchorum regis filia, dum Iasonem, à quo repudiata erat, ulcisci vult, & Mermerum ac Medum* filios *coram patre Iasone in pænam patris interimit, illud* coram populo & *palàm faciat, suosq́ pueros miserabiliter* trucidet. *Hoc enim spectaculum ipsis spectatoribus nimis horrendum & abominabile esset, & ob id narrari potius, quàm in conspectum hominum exhiberi debet. Porro* Atreus *ille Pelopis filius, scelertaus* & nefarius, humana exta & *membra Plistenis fratris filij coram populo* palam non coquat. *Quod facinus adeo atrox & nefarium fuit, ut ipse etjam sol, ne id videret & pollueretur obscuratus retro fugerit, nedum ut illa hominum oculis exponantur. Nimirum dum Atreus in vindictam fratris Thyestæ, qui uxorem suam corruperat, filium coctum patri comedendum apponit.* Procne *etjam Pandionis filia coram populo* in avem *hirundinem* non convertatur, *dum illa adulterium mariti Terei cum sorore Philomelâ commissum vindicatura Ityn filium occidit, & coctum patri in cibum apponit. Quo cognito scelere Tereus Procnem conjugem gladio insecutus Deorum miseratione in upupam conversus est, & Ithys in Phasianum, Procne in hirundinem, Philomela in avem sui nominis. Deniq́,* Cadmus *Agenoris filius, dum à Zetho & Amphione regno pulsus ad Illyrios se confert, & Deorum misericordiâ cum*

Harmo-

Harmomonia uxore sua in anguem *vel serpentem convertitur, illud etjam non fiat coram populo. Hæ enim materiæ dum in tragœdijs tractantur, quæcunq; enormia, horribilia, & incredibilia sunt, narrari debent, non autem agi & oculis exhiberi.* Nam quodcunque *inhumanum & atrox facinus tu* mihi sic *palam & ante conspectum* ostendis, *exhibes, & oculis exponis, ego tanquam improbum & nefarium* odi, *& tanquam ratione carens & non probabile, non credo, sed* incredulus *rideo & negligo.* Fabula *etjam,* quæ *cum jam* spectata *est, & ad finem perducta,* vult reponi, *vel quæ cum semel acta est vult populo placere,* & *ab eodem rursus* posci, *& denuo agi,* non debet productior *esse* actu quincto. Neque *etjam* minor sit *vel brevior quinq; actibus* : Non *nimis, inquam, brevis & prolixa sit. In fabula etjam* DEVS *vel divina quædam persona temerè* non insit, *aut introducatur,* nisi extrema *necessitas hoc ipsum requirit, aut* nodus *aliquis, & res nimis ardua & sublimis, & nimia quædam difficultas, negotiumq; nimis magnum ab homine non expediendum occurrerit &* inciderit, *Deo liberatore &* vindice dignum, *qui rem difficilimam & supra humanas vires positam explanet. In scenâ etjam plures personæ loquentes non introducantur, aut si etjam* quarta *vel quinta* persona *introducatur, illa* non laboret *multa* loqui, *sed pauca tantum loquatur. In choris inserendis hoc potissimum observetur, ut ex quocunq; sexu virorum, mulierum, senum, juvenum, anuum virginum ille* chorus *constet, semper* auctoris partes, *suasoris & monitoris munus* & officium *honestum &* virile defendat *atq; tueatur, gravia & honesto atq; cordato viro digna, de virtute & officijs vitæ humanæ tractando, suadendo, dissuadendo, regendo, corrigendo, laudando, vituperando, Deosq; omnia fausta precando. Chorus etjam ab argumento fabulæ nihil discrepet,* nec aliquid inter medios actus intercinat, quod *ab argumento fabulæ alienum sit, quod* ad propositum non conducat *& pertineat,* aut aptè *cum ipso* cohæreat. Ille *chorus, viris* bonis *& innocentibus* faveat, *illosq; ubiq; laudet & commendet, illis*que *tanquam* amicis concilietur, *& amore quasi conjungatur,* iratos *homines* regat, *mitiget & compescat, demonstrans quantum mali sit in iracundiâ, homines justos & innocentes,* & peccare timentes amet, *parsimoniam* & dapes mensæ brevis *atq; frugalis, & victũ facilẽ atq; parabilẽ in mensâ tenui atq; vili,* & justitiam salubrem, *utilem, & salutarẽ,* & leges, *pacẽ, & cõcordiã,* & otia *pacis tẽpore* cũ portæ *remoto*

jam hostis metu non clausæ amplius, sed apörtæ sunt, *semper* laudet & *prædicet: arcana suæ fidei commissa & alia secreta vel sua vel aliorum tegat & occultet, taciturnitatem & silentium laudet*, & Deos precetur atque oret, ut miseris & *calamitosis* fortuna redeat, *illosq; læto vultu aliquando respiciat, contra autem à tyrannis crudelibus &* superbis abeat. *Atq; hæc & similia alia in choris potißimum decantari debent. Quoniam autem tibia ad cantum chori adhiberi solet, hac occasione de illâ etjam aliquid dicendum est.* Tibia *igitur priscis temporibus cum Romana res adhuc esset vilis & exigua,* non *fuit* Orichalco *ex parte* juncta & *circundata, magna & ambitiosa,* & tubam *sua magnitudine* imitans, ut nunc *est rebus Romanorum amplis & superbis,* sed *erat tantum vilis, ex ligno* tenui, & *exigua, nec ex orichalco, sed* simplex *è ligno*, eratque utilis, ut paucis *tantum quatuor* foraminibus choris adesset, illique aspiraret, & *concinendo canentes adjuvaret,* atque theatra *eoramq;* sedilia nondum nimis spissa *spectatoribus, plena, densa & referta* flatu & *sonitu suo* compleret. Ad quæ sanè *theatri sedilia non nimis densâ hominum multitudine plena coibat atq; conveniebat, non ut nunc innumera hominum multitudo, sed* populus numerabilis, utpote parvus frugi castus & verecundus, *iliq; homines religiosi & modesti* coibant & *congregabantur. Quæ profectò virtutes per opes potentiamq; imperij Romani profligatæ sunt. Nam* postquam *populus Romanus jam universi orbis* victor *imperium propagare,* agros extendere, *eorum terminos promovere, imperij limites & potentiam amplificare incœpit, postquam* latior *quidam* murus urbem *Romanam* cæpit amplecti & *circumdare,* & Genius *natalis Deus* festis diebus *sumptuosis & intempestivis convivijs non nocturno solum, sed etjam* diurno *tempore* vino *curari & placari, idq;* impunè *sine metu & reverentiâ alicujus Censoris, qui hujusmodi luxum & turpitudinem notaret: Tunc etjam simplicitas illa veterum paulatim deperijt, & non in alijs rebus gravioribus solum, sed etjam in* numeris *carminum, mensuris, rithmis, & metris, carminumq;* modis major licentia & *luxuria* accelsit, *quæ etjam ad tibias & instrumenta Musica translata est. Atq; huic licentiæ nemo potuit resistere, quippe quam populus Romanus non solum non prohibuit, sed etjam judicij sui vanitate approbavit. Populus enim Romanus variè ex urbanis & rusticis collectus illam luxuriam & licentiam non prohibuit, sed promovit potius.* Quid enim saperet rusticus *aliquis* indoctus, *jamq; in urbem*

trans-

translatus, & laborum *rusticorum* liber, *agrestis cum* urbano, turpis *cum* honesto confusus? *Nimirum* sic tibicen *etjam*, priscæ arti *simplici & uniformi*, motum *& gestum*, aliamque luxuriam, *& inter alia multa foramina, & nimium ornatum tibiis* addidit, & *passim* per pulpita *& tabulas scenæ vagus, & ambitiose passim circumerrans oblongam* vestem *ad tales usq; ad demissam, cum longo syrmate, tanquam caudâ post se traxit. Quemadmodum autem tibicen tibias sibi paravit ampliores, & pluribus foraminibus potentiâ & luxu in imperio Romano crescente*, sic etjam *in citharis, alijsq; instrumentis plures soni accessere, &* fidibus *in citharâ, quæ sacris tantum adhibebantur*, quarum sonus erat *non fluxus aut mollis, sed austerus &* severus, voces *& soni* creverunt, *& cum initio quatuor tantum chordæ fuerint, septem consecutæ sunt*, & facundia *atq; eloquentia, quæ initio fuit simplex & moderata, jam immoderata &* præceps insolitum *aliquod* eloquium *& eloquentiam impropriam turgidam & inflatam* protulit *atq; produxit*, & *quæ* sententia *in choris antea rerum* utilium sagax, *prudens, provida & perspicax erat, & magnâ prudentiâ de rebus honestis & utilibus spectatores admonebat*, & futura *sapienter* divinabat, *& prædicebat, quæ malè facta pœnæ, quæ bona facta prœmia manerent: Illa, inquam, talis, prudens, & simplex sententia chori, nimio studio, nimia verborum luxuria, sermonis ambiguitate & verborum involucris adeo obscurata fuit, ut* non *multum* discrepuerit, à sortilegis *& oracula depromentibus* Delphis, *aut Sibyllæ folijs, quorum sententia dubia obscura & perplexa est, & à nemine ferme intelligi potest. Atq; hæc omnia potentia imperij Romani nobis produxit, nimirum luxurium, non solum in instrumentis Musicis, & tragœdorum vestibus, sed in verbis etjam & sententijs. Dicam jam ulterius, quomodo disciplina Poëtarum mutata sit, & unde Satyra orta, quæ nimirum initio producta est, ut novo & ludicro aliquo inventa spectatores tædio afectos, recrearet, & detineret.* Quicunq; *autem primus omnium tragœdiam scripsit*, & carmine tragico ob vilem *aliquem* hircum *consequendum (hic enim tragœdi prœmium erat, vel ut alij uter ex cerio hirci vino plenus) cum æmulis suis contendit & concertavit, ille* mox etjam *& paulo post* agrestes satyros *inter actus tragœdiarum vel etjam statim post tragœdias recitatas* nudos introduxit. *qui ridiculis & obscenis gestibus tristem severitatem auditorum mitigarent, & ita tragœdiæ autor quamvis ratione tragœdiæ esset severus, gravis*, & asper, *utpote tragicus, tamen novo hoc*

ridicu-

ridiculorum satyrorum spectaculo jocum *aliquem* tentavit, ita tamen ut *severitatem, &* gravitatem *tragœdiæ salvam, integram &* incolumen conservaret; *idq;* eo *nomine fecit*, quod spectator *tædio & tristitiâ ex tristi aliquo Tragico eventu obortâ jocis &* illecebris *Satyricis* & gratâ *aliquâ Satyræ* novitate morandus *& detinendus* esset *in attentione & benivolentiâ, ne obrepto tædio abiret, utpote post peracta sacra & epulas, jam* sacris functus, potus & exlex, *qui non facile per seria illa & severa tragica in attentione & benivolentiá retineri poterat* : *Quo nomine hæc Satyrica inventa sunt. In hisce* tamen *Satyris inserendis vel immiscendis inprimis observandum est, ut personis suum cuiq; decus observetur. Nam* Satyros *vitiorum humanorum* risores, dicaces, *procaces, & petulantes* ita commendare convenit, *&* ita seria *& severa* Tragica *cum* ludo *& ioco Satyrico mutare &* convertere, *& ita in Tragædiam inducere & inserere oportet, ne regales personæ antea in Tragædia magnâ verborum majestate loqui introductæ, cum Satyris postea humili & obscæno sermone loqui introducantur, vilescãt, omnemq; suam majestatem amittant, & dignitatem* : Ne, *inquam*, quicunque Deus, *vel etjam* quicunque heros *vel semideus in Tragædiâ* adhibebitur, *&* nuper *magnificè splendidè & egregiè locutus est, pauloq; ante divino habitu* in regali auro, & *superbo* ostro *aureo Diademate & sceptro exornatus* conspectus *est, & regali habitu Tragico indutus fuit; paulo post cum Satyris commisceatur, scurramq; agat, cumq; ipsis loquatur, &* humili *Satyrorum* sermone *viles opifices, & humiles* tabernarios *loquendo* imitetur, *qui obscuras latebras incolunt, & vili etjam sermone utuntur. Vitiosum enim est personas* Tragædiarum *graves & magnificas, cum levibus & scurribilibus Satyris permiscere. Velut autem Tragicus vilitatem sermonis evitare debet: Ita etjam nihilominus nimiam grandiloquentiam & ventosam ambitionem sermonis fugiet, & cavebit ne dum humilitatem orationis vult defugere ambitiosas sermonum vanitates, contrarium vitium, incurrat,* aut dum humum vitat, *nimium sese attollat, &* nubes *quasi* & inania *inter cælum & terram* captet, *nimis, inquam, elato & vano sermonis genere utatur. Imprimis tamen illud videre est, ut Tragædia magnificentiam & majestatem suam ubiq; retineat.* Tragædia *enim, quæ* indigna *est*, quæ versus leves, *dicaces, jocosos, petulantes, & Satyricos leviter & temerè* effutiat, paullulum intererit *à* protervis, *obscænis, & petulantibus* Satyris, *& ab illorum impudentiâ debet differ-*

differre utpote pudibunda verecunda gravis & honesta, si levitatem & affinitatem Satyricam referatur: Non aliter ut honesta quædam matrona quæ ludis Megalensibus vel alijs diebus festis moveri & saltari jussa est, pudicè & verecundè saltat, non ut leves & impudentes meretrices protervè omni pudore abjecto & deposito. Sic Tragœdia etjam, licet cum satyrâ commixta sit, nihilominus suam gravitatem & severitatem debet retinere, satyricorum petulantiâ & obscœnitate relictâ. Atq; hæc de satyra & tragœdia conjunctis. Ad satyras autem scribendas non satis est ut sine ullo verborum ornatu omnia propriè & simpliciter dicantur, sed præterea multa alia requiruntur. Ego enim Horatius, ô Pisones, cum Satyrarum scriptor sim, non solum, amabo nomina & verba inornata, rustica, incondita, propria, simplicia, & dominantia, quibus res quamvis obscenæ sine ullâ circuitione proprijs nominibus appellantur. Hoc enim non satis est in scribenda Satyra, neque sic studebo, aut ita enitar in Satyra à tragico colore, & tragica grandiloquentia differre, ut omnia negligenter congeram, ut mea opinione nihil interesse putem, inter Satyram & Comœdiam, & perinde esse putem sive Davus aliquis serv uscomicus loquatur, & audax illa, & temeraria Pythias ancilla comica in decipiendo vel emungendo sene, nimirum, quæ talentum nacta & lucrata est, postquam Simonem senem delusum & deceptum pecuniâ emunxisset; An vero aliqua persona Satyrica: Exempli gratia Silvanus qui Bacchi Dei alumni sui nutriitus, custos, famulus, & minister fuit, utpote quem tanquam alumnum custodiit & nutrivit. Non autem est levis momenti carmen aliquod Satyricum scribere, quod ex mediâ vitâ hominum depromptum indocti quidam leve & facile esse existimant. Ego enim si Satyrographus sim aliquod carmen ex notâ materiâ vitæ humanæ effictum & efformatum sequar, scribam, & desumam; ex re, inquam, nota non autem recondita & abstrusa, ita ut, quia è communi vita depromptum est, quivis speret idem sibi posse contingere, & idem se facile posse assequi; & tamen quamvis idem ausus sit, licet idem expertus & conatus sit, multum sudet, plurimum laboris insumat in illo carmine imitandotamen frustra laboret, & omne oleum atq; operam perdat. Tantum nimirum lucidus rerum ordo, series, dispositio in carmine, atque verborum compositio junctura & structura pollet atq; valet, & imitari admodum sit difficile; & tantum honoris, elegantiæ, & ornatus, etjam vulgaribus materijs, & è mediâ hominum vitâ sum-

ptis accedet, *ne quis fortè censeat, Satyram è vitâ communi & vulgari desumptam, rem vilem atq; levem esse. Quod ut quispiam in Satyrâ aliquâ præstare possit, in illud opera danda est, ne Satyri vel nimis urbanè, vel nimis etjam obscœnè loquantur. Satyri enim &* Fauni, *qui quasi* è sylvis *in urbem* deducti *sunt, utpote rusticorum Dij, inq; sylvis nati & educati* me judice *& arbitro accuratè* caveant, ne aut nimium teneris, *mollibus, delicatis, comtis, cultis, venustis, & concinnis* versibus juvenentur, *& juveniliter quasi exultent, vigeant, & lasciviant*, veluti in *urbe &* trivijs nati & pœnè forenses *essent, inq; foro urbis educati; hoc enim indecorum esset, rustico alicujus urbani sermonem assignare:* Aut *ne nimis* immunda *& obscœna, ne nimis* iguominiosa *& flagitiosa* dicta crepent *& magnâ cum voce eloquantur. Equites enim & patricij senatorij ordinis & nobiles*, quibus equus, pater, res, *opes, & divitiæ* sunt, *calumnijs & obscœnitatibus* offenduntur, nec si quid *aliquis de plebe pauper & egenus, rudis & levis*, emtor *quispiam* fricti ciceris & nucis, *qui scurrili obscœnitate fortè delectatur* approbat: *Illi quoq; nobiles & divites, viri cordati & severi illud statim* æquis animis accipiunt, *patienter audiunt*, & coronâ *quasi & palmâ* donant, *tanquam rem pulcherrimam & alicujus pretij. Porro in metrorum pedibus, & carminum mensuris, negligentia Poetarum nostrorum culpâ & reprehensione non caret. Nam ut de pedibus aliquid dicam;* syllaba longa brevi *syllabæ* subjecta *& postposita*, Iambus vocatur: pes citus *& celer, utpote à brevi incipiens, præ cujus nimiâ velocitate duæ mensuræ pro unâ reputantur:* unde *etjam factum est, ut ipse Iambus propter suam velocitatem*, cum *in senarijs versibus sex pedibus constaret, &* senos *pedum* ictus redderet, *eo tamen quod citus est*, jusserit *illis* nomen trimetris jambeis *dari, apponi, &* accrescere, *jussit, inquam, senarios, qui sex pedibus constant vocari trimetros, quasi tribus mensuris tantum constarent. Hoc, inquam, pes jambus fecit, in cujus velocitate brevis syllaba quasi eliditur, qui in senarijs vel jambicis trimetris*, primus *pes* ad extremum *sextum pedem* sibi similis *fuit, totus ex meris Iambis constans. Atq; hoc quidem primorum Poetarum diligentiâ fuit introductum.* Non *autem* ita pridem *factum est, ut hic jambicus senarius* spondeos stabiles, *tardos & constantes* in *sua* paterna jura, *quæ quasi à primo patre & inventore habet*, receperit, *eisq; suo jure & loco cesserit, ut nimirum versus senarius non ita celeriter curreret, sed* aliquanto tardior

dior & gravior, *propter spondeos admixtos*, ad aures *spectatorum* veniret, *& hoc quidem fecit pes Iambus in senarijs commodus quasi & facilis*, seque patientem & commodum *in loco spondeis dando* exhibens, *Hâc tamen conditione*, ut de secundâ aut quartâ sede, *vel regione*, non socialiter *discederet*, *& spondeo quoq; sociali quodam amore locum daret. Secundam enim & quartam regionem sibi uni & soli retinuit, inq; eo socialiter & amicè sese gerere noluit, ut de illis quoq; locis migraret, & spondeo alijsq; pedibus locum daret. Et quamvis ita hæc sese habeant, & senarius in secundâ & quartâ regione alium pedem præter Iambum non admittat: illud tamen incuriâ & negligentiâ nostrorum Poetarum observatum non est.* Hic *enim* in nobilibus *illis & tantopere à Romanis laudatis senarijs vel* trimetris *Poetarum* Attij, Ennij, *& Plauti* rarus *admodum* apparet, *& negligentiæ pariter, & ignorantiæ illorum auctores accusat. Profectò hic Iambus ab illis auctoribus in Poemate raro exhibitus, & suo loco insertus premit, damnat & reprehendit,* versus *senarios vel trimetros*, magno cum pondere in scenam missos *& pluribus quam par sit spondeis tardatos. Tales, inquam, versus damnat, reprehendit, accusat, & premit, turpi aliquo crimine, idq;* vel opere nimium celeris, *& laboris nimium in absolvendo opere properantis*, & *omni* curâ *& industriâ* carentis, *cum illa, quæ festinata sunt, elaborata esse non possint, & ob id meritò reprehendantur*; vel premit *illos turpi saltem* crimine artis ignoratæ; *quòd nimirum Poeta ignoraverit, secũdo & quarto loco Iambos tantũ esse adhibendos. Vt paucis dicã, versus Iambici ex spõdeis constãtes, excusari non possunt, eorũq; auctores vel ignorantiæ, vel socordiæ saltẽ, & ignaviæ non immeritò accusantur. Nõ injuriâ autẽ quis hoc loco quæret, quæ causa sit, quare Poëtæ Romani tã negligenter scribãt, nullâq; curâ & limâ adhibitâ versus putidos, insulsos, & nullo studio elaboratos passim profundãt. Hujus rei duas causas invenio: prima est, quod* quivis judex *& auditor* Poemata immodulata *& suis numeris, pedibusq; parum absoluta* nõ videt *& animadvertit: secũda causa est, quod* Romanis Poëtis venia *erratorũ suorũ* indigna *& immerita* data est. *Nũ quãvis malè scribant, tamẽ veniã cõsequũtur, sed immeritò. Atq; hæ causæ sunt, quare tam insulsè & ineptè Romani nostri Poetæ passim scribãt. At verò quãta hæc est vanitas?* ideonè *in pedibus passim* vager, & *negligẽter* scribam, *vel quia si errem veniã consequor, vel etiã quia nemo me errare animadvertit*, an *verò potius* putare debeo omnes mea peccata *animadversuros*, *& neminem*

minem fore, qui peccatis meis veniam indulgeat, ut ita diligenter & accuratè scribam, nec opus habeam ut aliorum judicium & censuram reformidem. *Nam si id faciam* tutus *ero & extra culpam,* & *quia* extra veniæ spem *constitutus ero, utpote quæ mihi præcisa & adempta erit,* cautus *ero & cavebo ne in vitia incurram. Cautus enim ero & non peccabo, si omnem veniæ spem mihi præcidam. Nimirum artis peritia studio, & diligentia, hoc præstare possum, ut venia nihil opus sit, cum nihil peccaverim. Cum autem ita tutus & cautus fui, reprehensionem saltem non promerui, &* culpam denique evitavi, laudem *autem* non promerui, *quam nimirum major natura , & mentis divinior instinctus perficit, Nam ille qui peccat, pœnam meretur, qui autem non peccat, illi quamvis pœnam non mereatur, non idcirco tamen meretur etjam præmium. Sic est : Latini nostri Romani Poëtæ in numeris & modis carminum suis pedibus debitis absolvendis, negligentes & socordes sunt. Græci autem cautè & optimè scripserunt, illos* vos *, ô Pisones, legite & sequimini , &* Græca *scripta &* exemplaria diurna & nocturnâ manu , *legendo* versate *& evolvite.* At *profectò* vestri proavi, *ô Pisones,* Plautinos numeros, *metra, & versus parum interdum numerosos,* & *Plautinos* sales *sæpe scurriles, leves, frigidos, & obscenos* laudaverunt , & nimium patienter, ne dicam *nimium* stultè, utrumque *& numeros, & jocos* demirati *sunt ;* si modo & ego *Horatius,* & vos *ô Pisones in salibus & jocis,* inurbanum , *incivile & scurrile dictum,* à dicto lepido *civili & urbano* seponere , *discernere & separare* possumus, & legitimum sonum *in versibus & numeris illorumque pedibus &* digitis *examinare & mensurare,* & aure *dijudicare possumus &* callemus. *Et hæc quidem de versuum numeris & pedibus: dicamus jam porro, quomodo tragœdia paulatim orta sit, & incrementum sumpserit, cujus primum inventorem alij* Epigenem *fuisse contendunt, ego vero* Thespin *fuisse deprehendo. Nam* Thespis *à veteribus Grammaticis* dicitur, genus *carminis &* Camænæ tragicæ, *priscis* ignotum *& inusitatum omnium primus* invenisse, & *sua* Poemata plaustris *circa vicos* vexisse , *& in plaustris egisse & docuisse,* quæ *ipsi actores tragici,* qui *nondum personati incedebant, sed ne agnoscerentur facies &* ora *sua* fæce perungebant, *in spectaculis* agerent & canerent. Post hunc *Thespin proximè secutus est & successit* Æschylus, *qui larvas invenit ,* & personæ, & pallæ , *vestis tragicæ,* oblongè & honestæ repertor *fuit, & tragœdiam perfecit , nec*

in tri-

in trivijs amplius illam agere & repræsentare voluit, sed scenam modicam descripsit, & *scenæ gradus atq;* pulpita modicis tignis instravit, & docuit *magna verba sonare, magná verborum grandiloquentiâ uti*, magnum *ac tragicè* loqui, & cothurno *calceamento tragœdorum* niti *& incedere.* Hisce *tragœdijs & satyris*, vetus comœdia non sine multa laude *sed magno cum populi applausu* successit, *in qua cautè, modestè & prudenter vitia hominum in initio perstringebantur.* Sed *illa* libertas *dicendi in veteri comœdia, paulatim modum egressa*, in vitium *contumeliosæ maledicentiæ* excidit, *inq; injurias probra & maledicta non ferenda erupit, inq; apertam rabiem converti cæpit, & impunè etjam per honestas domus contumeliosè grassari. Deniq; in tantam* vim *violentam & virulentam prorupit*, quæ digna fuit, quæ lege regeretur *ac judicio coerceretur. Hinc nimirum* lex est accepta *& pœna ex lege lata, quæ prohiberet quenquam, malo & famoso carmine scribi*, atque *ita* chorus *priscæ comœdiæ paulatim* turpiter *silentium egit &* obticuit, *& non sine pudore tacere coactus fuit, utpote* cum *jam latis legibus pæna in maledicos constituta, & jus,* impunitas *& quasi potestas* nocendi, sublata esset. *Atq; hæc quidem de Poetis Græcis, illorumq; inventis. Reliquum est, ut ad Poëtas Latinos transeam, qui vel ingenio, vel industriâ Græcis nihil concesserunt,* nostri *enim* Poëtæ *Latini idem tentarunt, quod Græci in sua linguâ,* nihilq; *quod Græci jam ante tractassent,* intentatum *reliquerunt, & ob id magnam profecto laudem consecuti sunt.* Certè non minimum decus promeruerunt, *ut qui materias Græcas, quibus illi sua scripta & carmina, in laudem Græcorum impleverunt, non semper tractaverunt, sed* ausi *sunt* Græcorum vestigia deserere, & domestica facta *Romanorum gesta & egregia bella* celebrare. *Certè ipsis Græcis si non superiores certè pares fuerunt Poetæ Latini nostri,* vel qui prætextas *fabulas scripserunt, in qua prætextatos, nobiles & duces Romanos introducebant, quæ Græcis tragœdijs, & Græcorum Dijs & heroibus respondebant,* vel qui togatas *fabulas* docuerunt, *in quibus togatæ & viliores è plebe personæ introducebantur, & materia è vulgo sumpta, tractabatur, quæ Comœdiæ Græcæ respondet. Certe Italorum ingenia longe sunt præclarissima, atq; adeo Italia, &* Latina lingua *arte & ingenio non minus præstaret,* non minus potens esset, quam virtute, *fortitudine* & *claris belli* armis, *si modo Poetæ nostri carmina sua vellent studio & industriâ elaborare,* & unumquemque Poetarum

Romanorum limæ *emendationis & correctionis* labor, & mora, *tempusq́ editionis diuturnius* non offenderet. *Certe nisi Romani lituram in scriptis suis tanquam turpem metuerent, & editionem non tantopere urgerent, facile essent optimi, vel saltem optimis proximi. Hæc enim duo ad perfectum carmen requ runtur industria & tempus. Atq; adeo vos, ô Pisones, qui* Pompilij sanguis *estis, utpote à Numâ Romarum rege oriundi, illud* carmen reprehendite *& non probate,* quod multa dies, *& longum tempus non absolvit correxit & emendavit, &* quod multa litura, *accurata correctio* non coercuit, *repreßit, & vitiosis quasi amputatis, perfectißimè absolvit,* & *quod dici solet* ad præsectum, *accuratiúq;* unguem *ad quem marmorarij juncturas explorare solent,* decies non castigavit, *& sæpius iterum atq; iterum limavit. Non enim illi audiendi sunt, qui Poetas nescio quo furore insaniâ & enthusiasmo corripi fingunt, & ita sine ullâ industriâ & labore perfectum carmen scribere. Qua profecto stultitia & vera insania non nulli hâc tempestate laborant.* Quoniam enim Democritus *nobilißimus ille Physicus* credit, *naturalem inclinationem &* ingenium fortunatius *esse & plus præstare* miserâ arte, *studio labore & diligentiâ,* & *omnes* Poetas sanos *& mentis compotes bonos Poetas esse negat, &* ex Helicone *Bœotiæ monte Musis & Poëtis sacro omnino* exclusit, *& negat quenquam Poetarum plenum & copiosum carmen posse fundere sine divino alicujus furoris instinctu :* bona *Romanorum Poetarum* pars *datâ operâ furiosa videri studet,* ungues *capillos & barbam per tonsorem* deponere *& præsecari* non sinit, secreta loca, *ut furiosi solent,* petit, *nihil corpori indulget, illuvie immunda est, quia non lavat, sed* vitat balnea. *Tunc* enim *nimirum* nomen, *dignitatem,* precium, *munus & appellationem* Poetæ nanciscetur, *& obtinebit, si ab omnibus insanus & furiosus, ut est, sic etjam habebitur,* etsi Licino *famoso illi* tonsori *suum* caput nunquam *tondendum* commiserit. *Quod profectò caput, adeo furiosum & insanum est, ut nullâ, quantumvis multâ & copiosa ellebori copiâ, atq; adeo* tribus *integris* Anticyris *insulis & omni elleboro in illo proveniente, quo furiosi sanari solent,* insanabile *sit, & sanari nullâ ratione poßit.* O *quam* lævus, *stultus & recors* ego *Horatius sum,* qui *etjam furiosus & insanus esse nolo, ut ita eximius & nobilis Poeta repentè evadam! sed* sub horam verni temporis *singulis annis* à bile purgor, *meq; ab insaniâ libero. Nam si ego etjam furiosus & insanus essem,* non *facile* alius *quispiam* meliora poemata, *quàm*

ego, fa-

ego; faceret, ut qui ob iracundiæ furorem aliàs ad insaniam inclino. Verum ego nihil tanti facio, nec ullum Poetæ nomen tanti apud me est, ut ejus obtinendi causâ insanire & furiosus esse cupiam. Ego ergo sanus cum sim, & ob id Poëta non sim, & interea tamen alijs rationem Poemata faciendi præscribo, cotis vice fungar. Nam quemadmodum ipsa cos, ferrum potest acutum reddere, cum ipsa acuta non sit, & exsors sit, & aliena à natura secandi: sic etjam ego Poeta ipse non existens, & nihil ipse scribens, munus Poëtæ & officium scribendi alios docebo: nimirum unde opes Poetarum, res, materia, & facultas Poeticæ comparentur, quid alat & producat, quid formet, instruat, erudiat & expoliat, quid deceat & non deceat; quo virtus & ars Poëtica, & quo error, vel artis ignoratio Poetam ferat & deducat. De his breviter aliquid dicam. Principio ipsum sapere, ipsa sapientia, rerum usus & experientia est principium, fons, & origo rectè scribendi, non autem furor & dementia, ut Democritus somniavit. Ad rem vel materiam carminis quod attinet, quam debes scribere, illam Philosophorum libri, & in primis chartæ Socraticæ, & monumenta Platonis, Xenophontis, Plutarchi, tibi poterunt ostendere. Porro hanc rerum inventionem, & hanc rem prævisam, & materiam describendam, quam præspeculatus es, ipsa elocutio conveniens, & verba apta & accommodata, spontè & non invita sequentur. Rerum enim copia, verborum copiam gignit, & post rem inventam, & sapienter præcogitatam, apta etjam elocutio facile sese offert. Certè, qui novit quid in in quaq; vitæ humanæ parte conveniat, ille etjam novit, quo sermone quidq; proferendum sit. Nam qui didicit, quid patriæ debeat, nimirum defensionem, honorem, & totam vitam, quid amicis debeat, videlicet omnia officia, & illa adeo quæ quisq; sibi debet, qui didicit quo amore parens sit amandus, nimirum cui nihil pro meritis dignum à filio retribui potest, quo amore frater, quem nobis ipsa natura devincit, & hospes cui benivolentia & humanitas debetur, colendus sit: quod munus sit alicujus patris conscripti, qui unus è centum & viginti senioribus, qui quotidie in senatum veniunt, de salute & incolumitate Reipublicæ deliberaluri; quod officium sit judicis, qui in foro controversias & lites cognoscit, & caussas dijudicat, quæ deniq; partes sint, alicujus ducis vel imperatoris, summi, senatu in bellum missi:

hac

hæc omnia qui novit & didicit, ille *etjam* profecto *verba* unicuique personæ convenientia reddere cognovit, & *quicunq; in rebus & personis decorum cognovit, cognovit etjam decorum in verbis unicuiq; rei & personæ accommodandis. Atq; hæc res discitur non adeo doctrinâ & institutione, quam communi hominum vitâ, experientiâ, & usu. Ob id superius dixi ipsam sapientiam, quæ longo usu & experientia in consideratione vitæ humanæ addiscitur, rectè scribendi principium & fontem esse, & nunc* jubebo doctum *aliquem Poëtam comicum, & vitæ humanæ* imitatorem, *si unicuiq; personæ verba convenientia assignare velit, non tam libros & præcepta* inspicere, *quàm consuetudinem inter homines*, & exemplum vitæ morumque *humanorum*, & hinc *ex communi vita, & moribus hominum veras &* vivas voces educere, *& personis suis aptè convenienterq; assignare. Comœdia autem & tragœdia non tam verbis quam rebus vigeat, magisq; semper commendatur Poema rebus & sententijs stipatum, quam inani verborum sonitu, sine ulla subjecta sententia. Nam* fabula, *quæ* locis *communibus* speciosa *est, sententijsq; è Philosophiâ petitis referta*, & recte morata, *suumq; decorum unicuiq; recte assignans, quamvis sine ullâ verborum pulchritudine & elegantiâ sit*, nullius Veneris *ornatus & leporis*, sine *verborum gravitate, eloquentiâ &* pondere, & *sine omni deniq;* arte *ingenio & artificio*, valdiùs interdum oblectat populum, *illumq;* melius *detinet in theatro &* remoratur, *ne tædio objecto abeat*, quàm versus *verbis turgidi*, rerum inopes, *sententiarum inanes & expertes*, & *bullatæ atq;* canoræ nugæ, *nullis locis communibus illustratæ, etjamsi versus sint cultissimi, modulati & numerosi. In utroq; vel verborum elegantiâ vel sententiarum copiá incredibile dictu est, quantum Græci Romanos antecedant. Cujus causam non immerito quæras. In promptu illa est: Græci enim gloria impulsi tantum scribunt, Latini avaritiâ, & lucri cupidine impediti scribere nolunt, aut saltem scribunt supinè & oscitanter. Ista enim* Musa dedit Graijs ingenium *& inclinationem, dedit* Graijs rotundo, *ornato & polito* ore *eleganter, suaviter, & expeditè* loqui, dum nullius *rei* avari *aut cupidi* sunt, præter laudem. *Contra* Romanorum pueri, *inde usq; à primis incunabulis in ludum mittuntur, ubi Arithmeticen avaritiæ organum, & aliæ artes ad quæstum comparatæ docentur. &* discunt assem *vel talem rem quæ in duodecim partes æquales dividi possit, addendo, subtrahendo, multiplicando, dividendo, &* longis *alijs varijsq;* rationibus in

bus in centum *& plures* partes deducere, *dividere, & resolvere. Age enim si* Albini *illius avari fœneratoris* filius *& ipse avarus tibi di*cat? si de quincunce *vel quinq; uncijs, una uncia aufertur &* remota est, quid *tunc* superat *vel relinquitur?* Poteras dixisse, *& ipsi respondere, relinquitur* triens, *vel tertia pars assis, vel quatuor unciæ.* Hic *verò ille gaudens & gratulans tibi respondebit? euge, pulcrè & bellè factum! si hoc novisti nunquam pauper eris, in re faciendâ diligens eris, &* rem tuam *partam* servare poteris. *Quod si ulterius te interroget & dicat? quid si ad quincuncem, vel ad quinq; uncias una* uncia *rursus accedit &* redit, quid *tunc inde* fit? *nimirum sex unciæ vel* semis, *vel una secunda respondebis.* At hæc *avaritia quæ tanquam* ærugo *ferrum, sic animum corrumpit, & hæc* peculij cura, *& pecuniæ cupiditas* cum semel *animos puerorum* imbuerit, *& suo quasi veneno infecerit,* possumusne sperare *à talibus, animis* carmina *unquam* scribi posse, *quæ æternitate digna sint, & adeo succo è* cedro illinenda *& imbuenda, ne unquam à vermibus corrodantur aut computrescant, & quæ* conservanda *sint in capsâ aliquâ* levi *& expolitâ ex* cupresso *arbore, quæ & ipsa odore suo tineas removet, & nunquam computrescit.* De *fine Poeseos etjam quædam hoc loco dicenda sunt, qui triplex esse apud Poetas deprehenditur:* aut *enim* poetæ *prodesse* volunt, *ut qui de moribus, agriculturâ alijsq; rebus in vitâ utilibus scribunt,* aut *etjam Poetæ volunt* delectare, *dum multa fabulosè & jucundissimè non sine insigni voluptate legentium scribunt,* aut *utrumq;* simul *volunt præstare,* & vitæ *humanæ* jucunda *pariter* & idonea, *dulcia & utilia,* dicere *& scribere. Ad illa Poemata, quæ in vitâ humanâ honesta præcipiunt, & utilitatem sibi propositam habent, in primis illud observandum est, ut* quicquid præcipias, *& hominum vitæ præscribas,* brevis sis. *Nihil enim præclarius est, quàm egregiam sententiam vitæ humanæ utilem, quantum fieri potest dilucidis verbis paucissimis absolvere,* ut *nimirum* animi dociles, *hujusmodi præclara* dicta citò percipiant, & fideliter *in memoriâ* retineant, *quod non fiet, si magno verborum ambitu utaris. In verboscitate enim multa sunt vana & supervacua, quæ cum auditorem tædio afficiunt, facile oblivioni traduntur & negliguntur.* Nam *quemadmodum aqua quæcunq; redundans est, supervacua, & superat, è vase pleno manat & effluit: ita etjam quicquid in dictis & sententijs tanquam supervacuum redundat, illud de plæno tædioso & fastidioso*

F pecto-

pectore auditoris facilè effluit & manat. Porro in illis Poematibus, quæ delectare tantum cupiunt, & lectores auditoresq́ exhilarare, quæcunq́ voluptatis causâ *fabulosè efficta sunt, illa ita fingi debent, ut veri similia,* & veris proxima sint, *nec multum à veri similitudine recedant.* Non *enim* quodcunque volet fabula *statim* sibi credi postulet, *ut unumquodq́ tantum, etjam absurda & monstrosa effingat, & illa lectores credere posseat.* Exempli *causâ Poëta in suo carmine* fingere non debet, quod *atroci & crudeli* Lamiæ *mulieri in Ponto,* vivus puer *rursus ex alvo* extractus sit, quem *paulo ante mortuum devoraverat, &* pransa erat, *gravidæ mulieris alvo ferro aperto exemtum: Hoc enim nimis absurdum foret. Ceterum illa Poemata quæ jucunda tantum sunt, & interea omnis* frugis & *utilitatis* expertia, *illa virorum honestorum conventus, &* seniorum centuriæ agitant, *respuunt, & aspernantur. Contra* celsi *elati & superbi* rhamnes, & *equites Romani juniores oderunt &* prætereunt *illa* Poemata, *quæ* austera *utilia & gravia tantum sunt, nullâ voluptate & jucunditate temperata. Seniores enim honestis & utilibus, juniores jucundis & dulcibus delectantur. Quid faciendum igitur? Nimirum ille Poeta,* qui *in suo Poëmate utrumq́ conjungit, &* utile *cum* dulci *honestum cum jucundo aptè* miscuit, *& temperavit, ille* omne punctum retulit, *omnium suffragium promeruit, omnium tam juvenum quàm senum judicium & favorem reportavit, omniumq́ judicio & calculo optimus poëtarum jure suo atq́ merito perhibetur; nimirum* dum *dulcibus & jucundis fabulis* lectorem delectat, *& juvat,* & *egregijs sententijs & præceptis in vitâ humanâ utilibus* pariter admonet, *& instruit. Nempe* hic *talis* labor, *qui ex utilitate & jucunditate temperatus est, bibliopolis illis* Sosijs æra, *& precium* promeretur, *hic liber dignus est, qui ametur & legatur,* hic *liber etjam ad alios populos & gentes defertur, &* mare transit, & scriptori *suo nobili, & Poëtæ auctori* noto longum ævum, & *vitæ tempus* prorogat, *prolongat, & extendit, suiq́ memoriam post mortem apud posteros sempiternam efficit. Quamvis autem hæc & similia alia in justo, legitimo, & suis numeris absoluto carmine omnino requirantur: Non* tamen *hæc ita rigidè intelligi velim, tanquam ob levicula etjam errata in carmine totum Poema reijciendum esse existimem.* Sunt *enim levia quædam* delicta, *in metro potissimum,* quibus ignovisse velimus *& veniam dare.* Nam *quemadmodum citharædo contingit, ut* chorda *in cytharâ* non *semper illum* sonum reddat, quem

manus

manus & mens tangentis *citharœdi* vult *& desiderat*; & *quemadmodum* acutam *vocem sæpe reddit &* remittit *illi*, qui gravem poscebat; *quemadmodum etjam in sagittariis, sagitta & arcus illud* quod minabitur, *quod intuetur, & quo oculus dirigitur & intenditur*, non semper *tanget &* feriet: *ita etjam Poetæ se non semper offerunt illa, quæ non vult scribere, & non semper occurrit quidlibet scribendi & fingendi potestas.* Verum ubi in carmine *aliquo* plurima nitent, *ubi plurima accurata, illustria & egregia sunt; adeo profecto* ego *inhumanus* non *ero, ut* paucis maculis, *obscuritatibus, vitiis & culpis* offendar, quas aut *negligentia &* incuria *temerè & imprudenter* profudit, *& quas scriptor aliud agens non animadvertit*: aut *quas* humana natura *propter imbecillitatem* parum cavit *& evitare potuit.* Quid ergo *in his statuendum est, & quis Poetarum veniam, quis reprehensionem promeretur? Velut* scriptor librarius *qui libros describit*, si *vitiosè semper scribat, si* usque peccet, *& in* idem *vitium perpetuo incurrit*, quamvis *sæpe de suo errore* admonitus est veniâ caret, *& planè indignus est, cui ignoscatur*: & *quemadmodum* citharœdus *aliquis*, qui *in* eâdem chordâ, semper oberrat, *& unam eandemq; fidem tangit, meritò irridetur: quippe hoc ipso nihil est ingratius & ridiculum magis*: Sic *etjam ille Poeta* qui multum cessat, *qui plerumq; vitiosè & negligenter scribit, reprehensione non caret, sed ineptus* fit, *& eodem* mihi *loco est, quo* Chœrilus ille *Poeta, qui res Alexandri Magni gestas scripsit, & cui Alexander dixit, malle se Homeri Thersiten esse, quàm Achillem Chœrili.* Quem *Chœrilum ego* cum risu demiror, *si* bis aut ter bonum *aliquem versum, rectè & emendatè scribat, ita malus Poeta est; quippe qui in toto suo opere septem tantum bonos versus habuisse dicitur, & qui cum pactum iniit Alexander, ut pro bono versu aureum Philippeum, pro malo autem colaphum acciperet, unde etjam ipsum colaphis occisum ferunt.* Et idem *tamen ego, qui demiror si Chœrilus bonum versum scribit*, indignérne *& ægrè feram*, quandocunque *ille* bonus *& tersus Poeta* Homerus *malum versum inserit, &* dormitat, *& ex incuriâ fortè alicubi labitur & peccat? Hoc profectò iniquũ esset, tanto poetæ nullum vitium velle condonare.* Verum *enimvero Homerus excusationem promeretur.* Fas *enim* est *alicui* in longo *aliquo* opere somnum obrepere, *& in tam longo Poemate, quale Homerus scripsit, alicubi titubare.*

Sunt autem Poemata duplicis generis, unum versibus sonorum, verborum elegantiâ comtum, sed rebus & sententijs destitutum: Alterum Poema exactum, verbis & sententijs expolitum, omnibusq; numeris perfectum. Poesis *enim* erit *velut* pictura. *Nam* quemadmodum quæ*dam* pictura te magis capit *& delectat,* si propius stes, *ut illa est quæ suis numeris absoluta est, suisq; coloribus probè imbuta, artificiosa & perfecta, quam quo propiùs, quo magis intueare, hoc magis placet.* Contra quædam *pictura, te magis capiet, & delectat,* si longius abstes, *& è longinquo atq; eminus illam contempleris, qualis rudis esse solet adumbratio, quæ eminus intuentibus fortè pulchra apparet, sed propiùs accedenti planè evilescit. Et quidem* hæc *posterior rudis delineatio* obscurum amat, *& sibi metuens lucem reformidat, è longinquo tantum videri cupiens:* hæc *autem prior pictura tersa, elegans & artificiosa,* sub luce videri volet, *& propius contemplari cupit, ut* quæ *alicujus accurati* judicis *& spectatoris* argutum acumen *& judicium* non reformidat: *& quidem* hæc *mala & rudis pictura* semel *eminus intuenti* placuit, *propius autem intuenti displicet & evilescit. Hæc vero artificiosa & accurata* decies repetita, *& sæpe iterum atq; iterum inspecta, magis magisq;* placebit: *sic etjam Poema verbis & numeris vigens, sine rebus & sententijs obiter & oscitanter auscultanti, fortè placere poterit, exactiùs verò consideranti displicet. Illud autem Poema, quod verbis, numeris, rebus & sententijs æquè stipatum est, quo magis legitur & examinatur, hoc magis magisq; placebit. Porro in alijs rebus & actionibus vitæ humanæ, mediocritas datur, in Poësi autem non datur, quippe in quo requiritur, ut omnia sint summa & absoluta. Tu igitur, ò* major *fratrum* juvenum *inter Pisones,* quamvis *meâ admonitione nihil indigeas, ut qui* voce patris *tui optimi Critici & carminum censoris* ad rectum fingeris *& efformaris,* & per te *ipsum satis* sapis: hoc *tamen,* quod tibi dicam, memoriâ tolle *& recordare; quod in* certis *quibusdam* rebus *vitæ humanæ* medium, tolerabile, *& moderatum,* rectè *dari &* concedi *possit; in Poesi autem non possit.* Exempli *gratiâ,* Iurisconsultus mediocris, & causarum actor *vel patronus vulgaris, quamvis à* virtute, *eloquentiâ & prudentiâ* diserti *illius* Mesallæ *Corvini JCti præstantissimi multùm* abest, neque *etjam tantum* scit, *nec tantum usu & eloquentiâ valet,* quantum Aulus *ille* Cascellius, *& ipse præstans JCtus:* Est tamen in *suo honore loco &* pretio, *quamvis mediocris sit:*

sit; Contra autem in Poesi mediocritas non datur. Nam non Dij, non homines, non *ipsæ* columnæ, *ad quas vel libri præstant, vel Poetæ sua carmina recitant*, concesserunt, ut Poetæ *quoq;* mediocres *& vulgares* essent, *qui si summi non sunt, ne in Poetarum quidem numero habendi sunt. Veluti enim* symphonia & discordantia inter *grata convivia &* gratas mensas *in instrumentis musicis discumbentes offendit,* & *quemadmodum* crassum, *malum & ingratum* unguentum & papaver cum Sardo melle *amaro & deterrimo in placentâ mixtum, convivis parum gratum est, illosq; summopere* offendit (quoniam *convivium &* cæna sine illis *peragi & traduci* poterat, *& satius est illa non addere, quæ offendent*) sic *etjam illud* Poema, *quod* natum & inventum *est*, animis *hominum delectandis,* juvandis, *& exhilarandis, si inconcinnum & ineptum sit, & modicum à perfectione, &* paulum à summo *vel perfecto* discessit, *& defecit, statim* ad imum vergit, *vile & nullum est, & vix in ullo habendū numero. Et multi tamen scribunt, quamvis ad hujusmodi perfectionem nullá ratione posśint pertingere. Multi etjam scribunt, & videri aliquid volunt, quæ tamen planè ignorant. Et dolendum est in reliquis artibus & exercitijs, neminem illud tractare quod non didicit; in Poesi autem doctos pariter & indoctos aliquid conari. Nam* qui nescit ludere *lactari, hastam jacere, currere, saltare, & alios ludos obire, ille à* campestribus armis *& exercitijs in campo Martio planè* abstinet, & *qui* pilæ *jaciendæ & agitandæ*, & *qui* disci *in sublime proijciendi,* & trochi *agitandi rudis &* indoctus *est, ille* quiescit *& otium agit, ne scilicet spectatorum circumstantium* spissæ *atq; densæ* coronæ risum impunè tollant, *& se sublato cachinno sine prohibitione jure ac meritò irrideant: contra in poesi,* qui nescit versus *confingere, illos* tamen fingere *& conscribere* audet. Quid ni *enim illud faceret, quippe qui sui juris,* liber *est* & ingenuus, *& jus faciendi habet, quicquid libet:* præsertim, qui dum censeretur repertus est, *in bonis suis* habere nummorum equestrem summam, *vel quadringenta sestertia, & infamis non est, sed* ab omni vitio remotus. *Vide quæso & ride, ò Piso, hanc Poetarum nostrorum vanitatem, qui illud moliuntur, quod præstare non possunt.* Tu *verò, ô Piso, si modo rectè te novi* invitá Minervâ, *& repugnante ingenio, reluctante naturâ*, nihil *unquam* dices, nihil *unquā* facies (*quod summæ vecordiæ & stultitiæ esset*) illud *enim accuratum* judicium tibi est, ea mens *prudentia & solertia tua*

tia tua, ut nihil unquam impoßibile sis tentaturus. *Licet autem in te hæc vanitas verenda non sit, ne quid fortè ultra ingenij vires moliaris:* tamen *ut rectiùs, circumspectiùs, tutiùsq; omnia agas,* si quid olim scripseris, *& aliquando edideris, illud priùs, quàm divulges aliorum judicio & censuræ subijcies, illudq; prius* in aures *Spurii* Mecij *Tarpæ, Critici docti & judicis severi,* aut *etjam* patris *tui Pisonis, viri doctißimi,* aut *etjam* nostras *Horatij aures* descendat, & *antequam publici juris fiat,* in nonum *prius* annum *domi* prematur *& contineatur*, membranis, *quibus carmen inscriptum,* intus *domi tuæ* positis. *Nam* quodcunq; nondum edideris, *illud* licebit delere *& emendare. Contra autem verbum semel emissum est irrevocabile, &* vox *in carmine* emissa, *& semel divulgata,* reverti non potest. *Non autem hæc eo nomine tibi dicta existimes, tanquam à scribendis carminibus, te planè velim propter suam difficultatem deterrere. Est enim ars Poetica res magna, imo divina, & in rebus mortalibus facilè prima; nimirum cujus effectus & opera, planè sunt mirabilia, & pœnè stupenda. Nam ut de Poetices laude aliquid dicam, & demonstrem, in quantâ dignitate, & præstantiâ semper fuerit habita, ille Poetarum primus & parens* Orpheus *Apollinis & Calliopes filius,* sacer *Theologus,* Deorum interpres, *sacerdos divinorumq; carminum scriptor; carminum suorum divinâ vi, & admirabili eloquentiâ* homines *feros &* silvestreis *in silvis & campis ferarum more errantes, mitigavit, humanitate expolivit, ad politiorem vitam à beluinâ ferociâ revocavit, illosq; à mutuis* cædibus, *victu* fœdo, *& cultu ferino atq; inhumano* deterruit. Ob hoc *eximium & admirandum factum* dictus *est hic Orpheus,* tigres & rapidos leones, *silvas & scopulos lyræ dulcedine* lenire *& mitigare: Hoc est, homines feros, crudeles, truculentos, inhumanos, rudes, truncos, inquam, & saxa permovere. Quippe cum homo omnium animalium ferocißimum sit, nisi doctrinâ humaniore expoliatur. Alter Poeta* Amphion *Jovis & Antiopæ filius, frater Zethi* Thebanæ arcis conditor, *itidem carminis vi & eloquentiâ, homines ferinos in silvis vagantes, in urbem & societatem communem revocavit. Hominesq; rudes saxeos, trunceos & inhumanos, eo compulit, ut relictis silvis civitatem saxeo muro circumdarent, & inter se sub unâ lege & rege habitarent. Ob id idem à Poëtis fabulosè* dictus *fuit,* testudinis *suæ* sono, blandâ prece, *suavi oratione, & dulci carminis alloquio* saxa, *hoc est rigidas hominum mentes, & pectora, Sithoniâ nive rigidiora, Caucasijs saxis frigidiora, & Geticis scopulis duriora permovere,* & *pro libitu*

bitu suo quo vellet ducere *&* *impellere.* *Olim enim Musici Poetæ &* *Philosophi unum & idem erant, quibus respublicæ & Politiæ regebantur, & constituebantur.* Hoc *enim olim fuit sapere, hoc sapientis munus erat & officium, & hoc* quondam sapientia fuit, *& à Poetis potissimum tractabatur,* publica *à* privatis, sacra *à* profanis discernere, Concubitu vago *communi & incerto (quē primi silvestres homines, pro libitu promiscuè ferarum more rapiebant) interdicere &* prohibere, *ipsis* maritis, *maribus & fœminis,* jura dare, *& leges, atq; mandata constituere, quibus fœdus conjugij retinerent, & matrimonij castitatē inviolatam servarent,* oppida moliri, *urbes & civitates exstruere,* leges ligno incidere, *& conservare. Et hoc potissimū Poetarum & sapientū munus erat, &* sic *nimirū* divinis vatibus *pariter* & carminibus, *quibus vitæ humanæ præcepta continebātur, magnus* honor, & *æternū* nomen venit. Post hosce *duos Orphea & Amphionē,* Homerus *claruit, &* insignis *fuit,* & Tyrtæus *Poëta Atheniensis validus & animosus* masculosos *militū suorū* animos in Martia bella versibus *suis* exacuit *& inflammavit. Cū enim Lacedæmonij ab Essenijs impugnarentur, ducē quē non habebant ab Atheniēsibus sibi dari petebant, qui ipsis invidentes in contumeliam miserunt Tyrtæū Poetam luscum & claudū, sed sapientissimū. Qui Heroico carmine conscripto, ita militum suorū animos accendit, ut de hostibus suis facilē victoriam rèportârint. Deinde etjā* sortes dictæ, *oracula edita, & Apollinis responsa data sunt* per carmina. *Imò etjā Philosophia versibus conscripta* est, & vitæ via *versibus* monstrata est, *quâ ad virtutē, sapientiā; & ipsam adeo beatitudinē tenderetur.* Pierijs *etjam* modis, *& versuum generibus à Musis excogitatis,* regum *& Heroū* gratia tentata *est, ad quam promerendā multi carminum beneficio feliciter adspirârunt, & etjānum adspirant.* Per *carmina* etjā ludus *oblectatioq; animorū in tragœdijs, comœdijs, Satyris, & Mimis* inventa est, & finis *ac solatiū multorū* longorū *& molestorū laborum atq;* operū *per versus repertus est. Atq; hæc eò dixi & recensui, o Piso* ne forte *erubescas in Poetarū numerū referri, & ne ipsa* Musa *carminū inventrix* lyricorū *modorū* solers *& perita,* & Apollo cantor *& citharæ inventor* tibi pudori sit, *ac turpe uti vi esse videatur. Atq; de his obiter hactenus dictū. Iam consequens est, ut de caussis Poesees inquirā. Diu autem disceptatū &* quæsitum est, *utrū egregiū aliquod &* laudabile carmen, naturâ fieret, *ut Democritus censet,* an *verò* arte, *labore, & industriâ.* Ego *verò ut paucis hâc de de sententiam meam aperiam,* non video, quomodo studium sine divite vena, *sine bonitate, & inclinatione*

natu-

naturali, non etjam video, quid magnopere efficere poßit naturæ bonitas, & ingenium rude & nullâ arte expolitum; & sic unum sine altero esse non potest, & altera res alterius rei opem poscit, alterum alterius auxilio veget, & unum cum altero amicè & socialiter conjurat, congruit & convenit. Et illa duo conjuncta demum bonum Poetam absolvunt. Quamvis autem hæc tot & tanta ad Poema absolvendum requirantur, & inprimis ars, industria, diligentia, labor & studium: multi tamen nullo ingenio & arte illotis manibus & pedibus huc contendunt. Quod eò magis dolendum est, quod cum in alijs artibus nemo poßit excellere, nisi qui multo studio & operâ crebrisq; actionibus illarum habitum sibi comparaverit: Romani contra in Poesi sine ullo labore & industriâ ad Poetarum dignitatem & nomen contendant. Exempli gratiâ, cursor, qui in stadio vult currere, & studet alios cursu antevertere, & optatam metam sui cursus, laudem ex gloriam & victoriâ, contingere & consequi: ille, dum puer adhuc esset abstinentiâ & exercitio multa pertulit, multa fecit, calorem perpessus est & sudavit, frigus pertulit & alsit, à Venere, vino, libidine luxuriê, & omni deniq; voluptate abstinuit: Tibicen etjam, qui Pythia & Apollinia quasi encomia cantat, & ad Apollinis laudes canendas adhibetur; ille priusquam canere incipiat, sub præceptore didicit, discipulus prius fuit, antequam magister esset, illumque magistrum suum discipulorum more extimuit & reveritus est. Iam verò in Poeticâ arte Romanis nostris satis est, si tantum poßint dicere, quamvis nunquam Poeticen didicerint: ego præstans sum Poëta, & admiranda Poemata pango & conficio. Certè quisquis inter Poetas infimus & postremus erit, ille per me infelix sit, illumq; extremum in hoc Poetarum stadio quasi currentem scabies occupet, aut aliud malum maneat: me enim Poetarum extremū esse, & ab alijs relinqui, alijsq; posteriorem esse mihi turpe & pudendum est. Turpe etjam mihi sanè & pudendum est, illud fateri nescire, & ignorare, quod nunquam didici, meq; Poetam esse negare, cum Poeticen nunquam exercuerim. Quid de alijs vanitatibus Poetarum nostrorum dicam, qui, quamvis, ut dixi, Poeticen nunquam didicerint, carmina tamen scribunt, suorumq; carminum auditores, & adplausores consequuntur plurimos, inprimis si divites & potentes sint? Velut enim præco rerum venalium turbam hominum & circumstantem multitudinem ad merces emendas cogit, congregat & convocat; sic etjam aliquis Poeta, qui agris & numis in fenore positis, dives & locuples est, tenuiores amicos fa-

cos fa-

eos famelicos clientes & aſſentatores ad auſcultationem ſui carminis tanquam ad lucrum ire *atq; properare* jubet. *Hi enim conviviis & muneribus provocati vel peßima Poëmata laudabunt.* Si verò eſt *ditiorum aliquis*, qui unctum *lautum & ſumptuoſum convivium* rectè poſsit *apponere*, *ſuisq; clientibus cœnam rectam apparare*, & pro *comite aliquo* levi & paupere, *qui quâvis emolumenti ſpe venalis eſt*, ſpondere, *ſeq; pro illo pecuniam, quam debet expoſiturum promittere, vas & ſponſor fieri, ſuamq; fidem interponere, & ſuo patrocinio vel opibus ex* atris *& periculoſis* litibus implicitum *ſolvere &* eripere : *profectò ego* mirabor: ſi *talis dives, opinione hominum* beatus, inter mendacem & verum amicum poterit internoſcere, *& falſum ab ingenuo diſcernere ; quippe qui ex amicis aſſentatores fecerit, & judices quaſi corruperit. Certè carmina ad adulatores deferenda non ſunt, ſed ad illos potius, qui illa emendent, ſi quid vitioſum fortè inveniant ; utiq; cum melius ſit, à viro bono reprehendi, quàm ab adulatore laudari & decipi. Atq; adeo* tu, *ô Piſo*, ſive aliquid *alicui* donaveris, ſive *etjam ali*quid donare voles, nolito *aliquem* lætitiæ plenum *ob munera à te accepta, vel ob utilitatis ſpem* ducere *& adbibere* ad verſus à te factos *judicandos. Talis* enim *ingenuè nunquam judicabit, ſed ſtatim auditis verſibus* clamabit : *eugè, bellè*, pulchrè, benè, rectè. *Atq; adeo verſus tuos tantopere admirabitur, ut* ſuper his palleſcat *& ſtupeſcat; quin* etjam ex amicis oculis *ſuis (imò aſſentatoriis) lacrymarum* rorem *& guttas* ſtillabit *& manabit ; præ lætitiâ* ſaltabit, & terram pede tundet *& pulſabit. Atq; adeo veluti illi* qui in funere conducti *ſunt, ut mortuum lugeant, & ut mulieres præficæ, quæ mercede conducuntur, ut mortuos defleant & collaudent, plus dolent*, plorant *& ejulant*, & propè plura dicunt & faciunt, *& plus lachrumantur*, atque illi qui *verè &* ex animo dolent, *ut ſunt conſanguinei, proximi, parentes, liberi fratres & ſorores* : ſic *etjam* deriſor & *aſſentator quiſpiam, ſæpe* plus *gaudio & lætitiâ* movetur, *& majori laudationis affectu percellitur*, quàm verus *amicus &* laudator. *Vt autem in totâ vitâ humanâ utile & ſalutare eſt, veros amicos ab adulatoribus diſcernere, ita potißimum in carminibus aliorum judicio ſubiiciendis.* Reges *laudabili conſuetudine introduxiſſe* dicuntur, *ut* quos *volunt* perſpicere, laborant *explorare, & probare*, utrum *etjam ſecreta animi tacere poſſint, &* digni ſint, qui in *intimam ſuam* amicitiam recipiantur: *illos* multis *grandibus poculis &* culullis urgere, *ipſis inſtare, illos* mero

(*quod lene ingeniorum tormentum est, varias hominum naturas, quantumvis tectas explorans*) torquere & *inebriare & inde penitus cognoscere quid animi sint* : *sic tu etjam auditores tuorum carminum explorare debes, ecquid digni sint, cui tua carmina rectè committas*, & si carmina condas *vel componas, necesse est ut adulatores subdoli, duplices, & insidiosi, atq; adeo* animi sub *dolosâ* vulpe latentes nunquam te fallant, *lateant, & decipiant: aliàs veritatem de te, ac tuis nunquam audieris. Qualis autem sincerus Criticus & carminum censor esse debeat, exemplo Quinctilij demonstratur.* *Illi enim* Quinctilio *Varo Cremonensi, candido judici*, si quid *carminis* recitares; hoc & hoc *vitiosum in carmine tuo* corrige sodes *& emenda*, dicebat. *Si tunc* negares te *illos versus* meliores posse *facere*, quamvis bis terque *iterum atq; iterum periculum feceris, & frustra* expertus sis : *tunc* jubebat te versus *planè* delere, & male tornatos, *tanquam* incudi reddere, *& de integro quasi recudere* & *efformare. Quod si ex vitioso tui & tuorum amore* delictum *& vitiũ carminis tui* malles defendere, *& excusare*, quàm vertere, *corrigere, & mutare: tum* nullum ulteriùs verbũ, & nullam inanẽ operã *deinceps* insumebat, *ad te tuamq; stultitiam emendandam*, quo minus te & tua *carmina* solus *& unicus* sine *ullo* rivali amares *& magnifaceres. Nimirum* vir bonus & prudens *nulli in carminum censurâ adulabitur*, versus inertes *& non satis accuratos* reprehendet, duros, *malè sonantes, & immodulatos* culpabit, incomtis *& malefactis versibus* calamo transverso *& in latus ducto*, atrum *aliquod* signum allinet, *& nigrã lineam aut virgulã ducet, eosq; inducet & delebit*: ornamenta ambitiosa, *superflua, & ornatus nimios* recidet *& amputabit*, illis quæ *brevia, & ob id obscura &* parũ clara sunt, lucẽ dari *& illustrari* cõget, *quæ* ambiguè *& perplexè* dicta *sunt, illa* arguet, *quæ* mutanda *& emendanda sunt, signo aliquo adjecto* notabit. *Deniq; aliquis, & castigator, & judex severus alienorum scriptorum* fiet, *qualis* Aristarchus *fuit*, *qui versus Homeri, quos non probaret, liberrimè reprehendit*. Nec dicet, *ut adulatores consueverunt*: cur ego amicum *aliquẽ, in carmine, in re levi &* nugis reprehendã & offendã? *Tune hæc nugas dicis? imò verò* hæ nugæ Poetam semel *ab assentatoribus* derisum & *malè ac* sinistrè acceptum *& deceptum* in seria *& vera mala* deducent *& præcipitabunt: cum nimirũ adulatorũ vanâ assentatione inductus optimum Poetã sese arbitratur, cum sit vanißimus, & ob in publicè alijs ludibrio erit. Et furor quidẽ & insania Poetarũ, quam Democritus tantopere commendavit, nostratibus Poetis rara non est*, &

est, & *quos non nisi stulti sectantur, non nisi sapientes fugiunt.* Veluti *enim* *illũ*, quẽ mala scabies, *vel arquatus, icterus*, morbusve regius *affligit*, vel error *aliquis* fanaticus, & *amentia in lunaticis* & *morbosis vexat*, aut Diana iracunda, *dementiã hominibus immittens* urget, & *premit*; *velut, inquàm, talẽ*, qui sapiũt, fugiũt. Sic *etjã viri sapientes* vesanũ *aliquẽ* Poëtã, *suaq; mala carmina omnibus obvijs recitare volentẽ, tangere* & *in plateis occurrere* timent & *longè* fugiunt, *contra autẽ, quemadmodum* pueri *imprudentes* & incauti *homines furiosos, in plateis* agitant & *insectantur*; *Sic etjam pueri imprudentes, tales furiosos Poetas* sequuntur, *illorũq; carmina audiunt* & *callaudant.* Hic *malus* & *insanus* Poeta, dum sublimis, *fastu plenus*, & *magnificè circũspiciens, putidos* versus ructatur, & *furore atq; impetu sine ratione fundit* errat, & *alucinatur*(perinde atq; auceps *quispiã, qui sublimis incedit*, & *in aera prospiciẽs* merulis *volantibus* intentus *est, dũ non prospicit illa, quæ ante pedes sunt*, in puteũ aut foveã decidit: *qui* licet longùm clamet: Io *jo* cives succurrite, *succurrite, illũq; clamorẽ longo tempore, ut longè audire queat, producat*; nemo *tamẽ* sit, qui *eũ è puteo* curet *at*tollere. *Quod si* quis curet *ipsi* opẽ ferre, & funẽ *in foveã* demittere, *ut ipsum extrahat; tamẽ* quia non scit, an prudẽs *moriendi consilio præ habito* huc *in foveam* se dejecerit, & servari nolit *ipsũ deserit.* Hàc *occasione* dicã & narrabo interitũ Empedoclis Poetæ Siculi, *qui* dum *versus de naturâ scripsit* *eorum dignitate, se non mortalem fore ratus*; immortalis Deus haberi cupit, Aetnam *Siciliæ montem* ardentẽ frigidus *cum esset*, insiluit, *seq; divinitatẽ suam probare volens, in ignitum illud antrum clam dejecit, ut ita à nemine inveniretur*, & *in cœlum quasi sublatus crederetur. Quemadmodũ igitur* Empedocles, *insanus* & *atrâ bile percitus perijt; sic etjam alijs furiosis* Poetis, jus sit & *concessum*, atq; liceat perire & *mori*, *præsertim si suæ quasi saluti ipsi infesti sint Quin moriantur illi, qui servari nolunt.* Nam qui invitum *hominem* & *mori volentẽ* servat, *ille* idem facit quod *ille* qui *hominem* occidit. Empedocles *enim sæpè talia moriendi consilia agitavit*, & non semel hoc egit, *ut moreretur ita, ut nulli de morte suâ constaret, inq; cœlum sublatus esse videtur.* Et *adeo pertinax in suo proposito perseveravit*, *ut etsi vel maximè*, *ex ignita fovea Ætnæ montis*, *in quam se voluit præcipitare*, retractus erit, non *interea* tamen *rursus* homo fiet, & *ac manebit, non abijci spem immortalitatis, ita ut rursus homo maneat* & *fiat*, *ut alij homines*; nec amorem

mor-

mortis famosæ, *nobilis*, *& omnium jam sermone celebratæ (quam ille tamen clam fore speraverat)* deponet, *& nihilominus alia consilia quæret & agitabit, ut Deus videri possit. Quin etjam* non satis *cuivis* apparet, *& perspicuum est, utrius facinoris atq; sceleris pœnam luat Poeta talis furiosus, dum versus facit & insanus est, & non satis video,* quare *malus Poëta* versus factitet, *& tanto amore agatur, ad scribenda carmina; fortè quia scelus aliquod perpetravit, propter quod puniri & furijs agitatus insanire debeat, dum carmina scribit;* utrum *fortè per extremum scelus* in patrios cineres, *aut sepulcrum paternæ sepulturæ, in quâ cineres & reliquiæ parentum reconditæ sunt,* minxerit, *aut urinam reddiderit (quod magnum piaculum à Dijs haud dubiè scelerum furijs vindicatur, & qualibus scelerum furijs insani illi atq; furiosi Poetæ nostri agitantur, dum carmina scribunt)* an verò *Poeta ipse pollutus,* incestus *atq; sceleratus,* triste *aliquod* bidental *aut locum fulmine tactum bidentibus ovibus à sacerdote expiandum, & à nullo alio hominum tangendum* moverit *& tetigerit.* Causam, *quare Poëta furiosus sit, ignoro, sed quod* furit *& insanit* certè *scio, dum furiosus & insanus omnibus occurrentibus carmina sua ad ravim usq; recitat, illisq; suâ recitatione omni morte gravior & molestior est.* Ac quemadmodum ursus, si clathros *& robustas trabes & postes,* qui caveæ objiciuntur, *ne egredi possit,* frangere potuit, *& ex illâ caveâ erumpere, omnes homines longe à se immanitate suá fugat & abigit: ita etjam* acerbus *aliquis & odiosus* recitator, *& Poeta malus & ingratus, omnes sibi obviam factos* indoctum *pariter* & doctum fugat, *& à se abigit. Si* verò *aliquem* arripuit *& nactus est, illum arctè* tenet, & legendo *obtundit, & tædiosâ malorum carminum recitatione* occîdit *pœnè & enecat: & idem facit quod* hirudo. *Quemadmodum enim illa hirudo vel sanguisuga* cutem, *crus aut pedem, quem semel occuparit,* non prius demissura *est,* quàm cruoris *omnino* plena sit, *& tam diu corpori affixa hæret, donec sanguine distenta demum decidat: sic etjam malus & furiosus Poeta, & odiosus ac molestus carminum recitator, auditorem, quem nactus est, non priùs à se demittit, quàm ejus auscultatione probè satiatus sit, & ineptias suas ad finem usq; perduxerit.*

F I N I S.

HORATIVS
E. LVBINI


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm